Digitized by Google

68
3 D
53

68.13 D.53

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
68- D - 53

Coll. Rom. Soc. Ies. cat. inscr. 68-D-53

EX DIVI IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ, ET ALIORVM APOSTOLORVM, AC MARTYRVM, ET VIRGINVM VITA,

A M. Antonio Georgio Bononienſi, Archipresbytero Sanctæ Mariæ Rotundæ ad martyres, Romæ congeſta,

ET BEATISSIMAE GLORIOSISSIMAEQ.
SEMPER VIRGINI MARIÆ
MATRI REDEMPTORIS
ET DOMINI NOSTRI
IESV CHRISTI
DICATA.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Apud Hæredes Antonii Bladii Impreſſores Camerales. Anno M. D. LXX.
ROMÆ

M. ANTONIVS GEORGIVS ARCHIPRESB. S. MARIAE ROTVNDAE, AD LECTORES.

CVM animum induxi hæc, optimi lectores, ut ſcriberem, quũq; pauca, uel nulla fere de tantis Dei ſeruis inuenire poſſem, ani maduerterem, non uiſum mihi, nec dicere ſum auſus, unius me, uel alterius ſcribere uitã, ſed de illius, vel aliorum pauca quædam, colle cta ſcilicet, ut inuenire potuerim, et congeſta. Quis enim de tam dilecto Dei ſeruo et tanto, ut de Ioanne, de cuius nunc agitur uita, dicam, ſe om nia poſſe putet, vel alijs, cum ne ſcripta quidem ſint, inuenire? Cuncta quis et quanta, quæ per nouem et nonaginta, continuato diem noctemq; labore, annos operatus eſt et fecit? Quis de eiuſdem obſequijs, ſolicitudi ne, et obſeruantia erga Virginem? Quis de diuinis inter ſe colloquijs, de cœlorum uiſionibus, et myſterijs tantis et arcanis? Quis de Virgine ip ſa, de cuius uita, ut martyrum et ſanctorum caput omnium, et cœlorum regina et angelorum, dicendum erit in principio, cum totum opus emitte tur? Quis de alijs, de quibus Dei teſtetur euangelium, quod ne mandu candi quidem tempus habuerint, et ſe dæmonia ſubijcerent eis? Quis de his, inquam, ſatis ne dicam ſcripſit, ſed, ut ita dicam, uerbum ullum un quam fecit? Quamobrem omnes uos oratos uolo, ut ſi pauca hæc, ut inſti tui, uel debilitate ingenij, uel ingraueſcente iam ætate, uel quod non uni omnia Deus, ſed ſuam cuiq; partem tribuere uoluerit, efficere non potue ro, cogitationem de his ſuſcipiatis, ut non tam pauca hæc modo conſeruen tur, ſed quo pauciora de tantis, ut diximus, Dei ſeruis, qui cœleſtis gloriæ teſtes et uitæ, uitam nobis ut oſtenderent, ardore ſuam tanto profunde re non dubitauerunt, inuenerimus, tanto de eis altiora, corde, mente, et animo cogitemus, et quorum ante oculos, gloriam, coronas, et triumphos inſpexerimus, ardentius etiam facta imitemur. Valete.

EX DIVI IOANNIS APOSTOLI, ET EVANGELISTAE, ac aliorum apoſtolorum, et martyrum, et virginum vita, à M. Antonio Georgio Bononienſi Archipresbytero Sanctæ Mariæ Rotundę ad martyres, Romæ congeſta.

ET GLORIOSISSIMAE ET BEATISSIMAE SEMPER virgini Mariæ matri Redemptoris et domini noſtri IESV Chriſti dicata.

DIVVS Ioannes Apoſtolus, iunior inter Apoſtolos, ex oppido Cana prouinciæ Galilęæ, Zebedęi, ex Salome virginis ſorore filius fuit. Ob virginitatem, et puriſsimi manſuetiſſimiq; cordis, et animi ſimilitudinem, Domino ſemper et amoris et honoris præcipui priuilegio dilectiſſimus. Iacobi Apoſtoli frater, gratia interpretatus, nec gratia tantum, ſed ob intellectus, et prædicandi tantam, ueluti ſupra etiam cęlos, altitudinem et ardorem, tonitrui dictus, ideſt admirabilitatis, filius. Cum non in Aſia modo tota uniuerſos ad fidem inflammato illuminare labore non deſiſteret, ſed totius orbis terrarum nationes et gentes in ſe fama tanti nominis et miraculorum, quę fierent indies etiam mirabiliora, conuertere non intermitteret, Epheſi deten-

tus ut Chriſtum negaret, ſed ſic detentus, Chriſtum ma gis annuntiaret, profiteretur, & ardentius inſiſteret, nec blãdimentis uinci, nec terroribus deterreri fides, amor, incendium, et religio tãta poſſet, Literis Proconſulis ad Domitianum, et Domitiani ad Proconſulem, catenis Romam uinctus ad Domitianum teterrimum, præter Neronem, et crudeliſsimum Chriſtiani nominis hoſtem mittitur. Et miſſus, flagellis ab eo quam crudeliſſimis, capillis ad ignominiam etiam tonſis, affligitur. Cum de ſole tamen ſplendor, et de cœlo ſol potius, et vniuerſum de mundo tolli cœlum poſſet, quam Apoſtolus a Chriſto, diſcipulus a magiſtro, dilectus a dilecto, a virgine virgo, prҿter alia cruciatus & tormentorum genera et exempla, Ad portã vniuerſi populi con curſu, et lachrymis ductus Latinam, ubi celeberrima locum demonſtrat in eius adhuc etiam ædificata hono rem, et memoriam eccleſia, In feruẽtiſſimi olei dolium, tortoribus incendia miniſtrantibus, ut crudeliori mortis examine miſerabilius interiret, eiicitur. Sed vt non ab omni tantum corporis, quam et cordis et puriſsimi animi inquinamento, et labe, virgo ſemper et innocens fuit, nec vnquam eſſe deſiit, ita non ab omni modo cruciatuum læſione et nocumento, ſed ab incendiorum etiam illæſus omnium ardore purior exilijt, et tanquam fortiſſimus athleta ſaluus, et uegetior, et incolumis. Quem dimittere cum cuperet, et libertati reddere miraculo tanto iudex, nec ob ingens et nimium Do mitiani in Chriſtianum nomen odium, & crudelitatem,

tem,ulla id effici ratione poſſet, vt ne tantum non puniſſe eum, ſed et qua in ipſum atrociori pœna poſſet, et crudeliori animaduertiſſe,et iracundiam ſatiaſſe magis, et crudelitatem videretur Imperatoris, Tanquam extra orbem,et hominum acceſſum, relegauit in Pathmos, Cuius exilium par morti, in pœnam reis inferebatur,et ſupplicium atrocioris et duplicis etiam mortis .Sed non extra modo orbem, aut hominum acceſſum, uel aliquo iniquo alio letali,mortiferoue loco,ſed velut etiam in cœlis, et paradiſi amœnitate, etAngelorum choris, Apocalypſim infinita futurorum myſteriorum teſtimonia,et ſacramenta continentem,non ut Euangeliſta tantum,et Apoſtolus, ſed tanquam altiſſimus etiam propheta, et ardentiſſimus, Domino reuelante,conſcribit. Inſulam totam lachrymis circumiens et ſuplicationibus, ex mortifera,orando ſalubrem, ex ſterili,benedicendo fructuoſam,ex inimica,pręedicando Deo caram et fideliſsimam reddidit, ſanctiſsimis operibus,fide, religione, moribus inſtituit, docuit, in omnibus confirmauit, et auxit. Domitiano uero eodem tandem occiſo interfectoq; anno, et omnibus actis eius ob nimiam crudelitatem, a ſenatu,diuina diſponēte ſapientia, cui ſuus ſibi curæ ſeruus eſſet, reſciſsis, ab exilio reuocatur Apoſtolus. Et tota uniuerſo concurſu deflente, et ad littus eum uſq; proſequente prouincia,conuerſus et ipſe lachrymans ad omnes, eoſdemq; longo ſermone, et diu conſolatus, cum fletu omnes magno,ut ſibi diſcedens aliquid in memoriam,et quaſi

pignus

pignus amoris ad imitandum, et ſeruandum relinqueret, orarent, Ieiunium, et mutuam inter ſe dilectionem, et amorem enixe diu, multumq; commendauit, et uehementer commendatam perpetuo ſeruandam tradidit, et reliquit. Flentibus autem omnibus, et diuellere uix et ipſe ſeſe poſſet ab eis, ſępius eiſdem, iterumque benedicens, et lachrymans, cœleſtemque ſecum, et ſacroſanctam Apocalypſim portans, Epheſum peruenit. Quo cum omnium concurſu et gaudio ſuſceptus ingrederetur, Druſiana Chriſti fidem ſemper, et Apoſtolum ſequuta, quotidie gemens dum uiueret et lachrymans, vt tam glorioſi redditus, et tantę gratulationis, et gloriæ diem uideret, et Apoſtolum, antequam moreretur, nec uidere potuiſſet, efferebatur mortua. Et omni flente, et vt eam a morte reuocaret, implorante populo, miſericordia motus, Dominus meus, inquit, IESVS Chriſtus excitet te, Druſiana, ſurge. Quæ confeſtim, uelut è ſomno, cum ſurgeret, tantus extitit ſubito clamor, et gratulatio, vt nihil per tres aliud horas ab uniuerſo clamatum populo, gratulatumq; ſit, niſi vnum, et uerum eſſe Dominum IESVM, quem Dei tantus annuntiare non deſiſteret Apoſtolus. Cumq; duos in foro poſtridie conſpexiſſet iuuenes, qui gemmis ex omni patrimonio emptis, in omnis populi conſpectu ad inanem mundi huius et gloriæ plauſum, Cratone authore, confregiſſent, tantum fatuitatis, et inſipientiæ deteſtans, et inſidiarum plenam, et cęcam fallendi Dæmonis artem, Sicut inutilis, inquit, et eiicienda medicina, ex

na, ex qua non curatur,et abſcinditur morbus, et doctrina inanis, unde non morum uitia curantur et animarum, ſic ſtultus mundi huius iſte contemptus,et inſipiens,cum a Domino mandatũ præceptumq; ſit, non ut perdere debeat,qui perfectus eſſe cupit,ſed uendere, et erogari pauperibus, et egenis. Ac magis etiam inflammatus et orans,Vt dilapſum,Domine IESV, mundum, inquit, et diſſipatum, per ſanctiſſimę tuæ paſſionis, et ſuſtinentiæ mortem reſtituiſti, Quadriduanum ad lucem ab inferis, et uitam reuocaſti, Cæco nato, quos nunquam habuerat, oculos tribuiſti, ita precor adſis, et imploro,ſuper confractos precioſiſſimos lapides iſtos,et reſtituas, vt quod eleemoſynarum fructum ignorantes et meritum,ad inanis mundi huius, et glorię plauſum perdiderunt,in pauperum erogatum vſum et expenſum, numerum accreſcat et multiplicet, ad maieſtatis, et gloriæ tuæ magnitudinem,et imperium. Quibus repente in integrum reſtitutis,magiſque quam unquam antea,coruſcantibus, et purioribus gemmis, uniuerſi Deum laudare,et qui cum Cratone fregerant, pauperibus et egenis erogare cœperunt. Cumque duo inde alii, uenditis omnibus, ita ut miracula facerent,apoſtolum ſequerentur, ſed cum ſe poſtmodum inopes, et tam egenos, præſtare autem diuitiis, et florere, inter quos dominari conſueuiſſent, inſpicerent, inopiam ſic inter ſe ſuam tantam gementes et abditi, ut quemuis commouere poſſent, quotidie miſererentur, Horum animi dolores, et arcana conſpiciens,et

dæmonum

dæmonum fraudes Apoſtolus, cum ligneas uirgas, et lapillos ex littore ſibi afferri iuſſiſſet, et in aurum virgas, et lapillos in gemmas, in Chriſti nomine uertiſſet, eos ad ſe uocans, Video uos, inquit, et animos ueſtros, quod omnia pauperibus erogaſtis, immutatos. Accipite, ite, redimite uobis terras, emite ueſtes, quærite cætera. Id enim poſitum certamen eſt uniuerſis, et certa ſtatuta conditio, vt quemadmodum ii certi ſint, æternas ſe habituros eſſe diuitias, qui terrenas habere contempſerunt, ita cœleſtium virtutum opes, et præmiorum gaudia conſequi non ualeant, qui in præſentia quę ſint, tanquam prima poſſidere ſtatuerunt. Voſmetipſi, dæmones effugaſtis, infirmos curaſtis, mundaſtis leproſos, miracula feciſtis. At aliorum opibus indigentes, miſerrimos iam ecce uos omnium, et egenos. Qua conterriti uoce, cum ueniam, (peracta dierum tamen prius triginta, mandante ipſo, pęnitentia) trementes expoſcerent, et omnia uelut antea reieciſſent, conſolatus eos, et quod gaudium de pænitentibus eſſet, et triumphus in cœlis, in priſtinum gratiæ ſtatum complexus eſt, et recepit. Indeq; cum mortuum unicum uiduæ filium nomine Stactæum, qui non amplius diebus triginta uxorem duxerat, ad uitam reuocaſſet, et mirabiliter incolumem reſtituiſſet, per ſeditionis oppreſſionem ad idola, ut ſacrificaret tractus, paſsis in cœlum manibus exclamans, Domine IESV, non hic vt tantum, inquit, populus, ſed terrarum orbis etiam omnis, et gentes intelligant, ſimulachrum hoc,

et idolum

et idolum, non modo non eſſe Deum, ſed iniquum, decipiens, et peſſimum dæmonium, corruat, et diſſipetur, obſecro, cum ſimulachris aliis, et idolis omnibus, quæ coluntur a ſtultis, et deceptis hominibus, et adorantur cum eo. Quæ cum diſſipata ſic, et è ueſtigio contrita corruiſſent uniuerſa, ut ne ueſtigium quidem appareret, et populi pars Deum, gratias agens, collaudaret, et aliam, Pontificum princeps idolorum Ariſtodemus, in Apoſtolum, ut ſolebat, irritans incitaret, Quid Ariſtodeme, Dei ſeruus inquit, faciam, ut iracundiam tuam iſtam tantam, et indignationem ab animo tuo tollam? Bibas vt uenenum, ille inquit, vt ſi mortem effugere potueris, ego credam. Et veneno ei propinato atrociſsimo, iacentibus mortuis qui biberant ex eo, intrepidus accipiens, Deus meus, pater, inquit, et filius, et ſpiritus ſanctus, cuius uniuerſa ditioni, et cuncta ſubiecta poteſtas famulatur, et metuit, extingue letale hoc, et uenenatum, obſecro, uirus, cunctas dele mortiferas operationes eius, Et uires, quas in ſe mortis habet, illuſtratione tuæ uirtutis euacua, et in horum omnium conſpectu, Deus meus, tribue, oculis ut uideant, fide intelligant maieſtatis, et gloriæ tuæ magnitudinem in ſæcula. Et cum uenenum ipſum, ſe ſigno crucis muniens, intrepidiſſime totum ebibiſſet, Peto a te, Domine IESV, iterum orans, inquit, et imploro, ut quorum illud cauſa bibi, et accepi, ad te conuertantur, te diligant, uenerentur, glorificent, et ſequantur, et gloriam, quæ apud te eſt, illuminante te, adipiſci ſemper, et aſſe-

B qui

qui mereantur. Cumque nullius diu, nedum mortis, ſed ne palloris quidem uel tripidationis indicia dediſſet, adhuc perurgens tamen, et inualeſcens, et aliud ex alio perturbans, ex uenenoq; mortuos etiam ut excitaret, inſiſteret Ariſtodemus, in ſeditionem uniuerſus exardeſcens inſurgeret in eum populus, et quod ſi perurgere, aut inſequi perſeueraret amplius Apoſtolum, non Apoſtolum tantum defenderet, ſed ipſius Ariſtodemi domum, et ſeipſum in ea concrematuros uniuerſi comminarentur, et inſiſterent, Seditionem ut ſedaret Apoſtolus, Prima omnium et princeps, quam de diuinis, inquit, uirtutibus tenere, filioli mei, debemus et imitari, eſt patientia, per quam poſsimus aliorum tolerare inſipientiam. Proinde, ſi adhuc ab infidelitate ſua tenetur Ariſtodemus, uelut medici ad ægrum, uarias medelas, et curationes adhibentes, ita et nos, ſi hic non ſatis adhuc curatus eſt, faciamus quod factum nō eſt. Et ſuam ſe ſtatim exuens tunicam, ipſi cum mitiſſime traderet Ariſtodemo, Vade, inquit, et impone ſuper mortuos eam, et dic, Apoſtolus Domini noſtri IESV Chriſti miſit me ad uos, ut in eius ipſius nomine IESV ſuſcitemini. Confeſtim iens, et imponens, et mortuos ſuſcitari conſpiciens, tremens tum demum, et percurrens, cum Apoſtolum adoraſſet, ad Præſidem, et exclamans, Iracundiam tuam Præſes, in Apoſtolum, inquit, inique ſępius incitaui, non homo eſt, ſed Deus, Non uenenum ipſe modo bibit, et uiuit, ſed qui biberant etiam, uel tunicæ ſuæ tactu mirabiliter

biliter a morte per me reuocauit, et ſimulachris deſtru ctis uniuerſis, et idolis, Deum pariter adorare cęperunt. Ferociſſimum autē iuuenem quendam cum etiam conuertiſſet, et Epiſcopo cuidam, depoſiti nomine, eum vt erudire curaret, reliquiſſet, cum relapſus tamē ille ſic, vt latronum fieret etiam princeps, a prędicatione reuerſus Apoſtolus, ſuum ab Epiſcopo depoſitū repeteret, pecuniam aliquam ille, cum nullā accepiſſet exiſtimans, tantæ diuinitatis hominem petere quod non dediſſet, erubuit. Cum de iuuene uero ſibi credito cognouiſſet, et quid dolenter accidiſſet, enarrare ſibi neceſſe fuiſſet, quod malo cuſtodi ſuum depoſitū reliquiſſet, uehemēter queſtus, gloriā pluris alterius, et animam, quā ſuum periculū, uel ipſam etiāmet uitam faciēs, ad latrones, et ubi latrocinia fierent, dehortātibus omnibus, ire cōtendit. Prædam aliquam ſperantes lęti procul inſidiatores, cum propius eum, et tantam uultus eius diuinitatem agnoſcerent, terroris omnes, et uerecundiæ pleni, iuuenis fugere cum cępiſſet, Non deſtitit clamare poſt eum, ne fugeret patrem filius, ueniret ad pœnitentiam, redire non dubitaret, quod pro ſe coram Deo ſtaret, Deum pro ſe orans precari non deſiſteret, incendioque tanto inſiſtens et ardore, ut non niſi uehementer ille gemens reuerti cogeretur, et lachrymans. Quem non benigne modo complexus, et ſuſcepit, ſed in bonis exinde per ſeuerans operibus, ab eo poſtmodum Epiſcopus eſt etiam factus. Egeno cuidam item pauperi, ob inopiam ſe nimiam, et exactorū crudelitatem exanimare cupiēti

biſque uenenum, cum non haberet unde redderet, ut moreretur, ebibiſſet, et ſigno ſibi crucis ob terrorem tamen facto, uiuus, et incolumis remanſiſſet, commiſerans, Et hebręo, qui ad uitam extinguendam, ei uenenum tradidiſſet, compatiẽs, hebręum ad Chriſti fidem prædicatione conuertit, et quantum egeno auri opus fuit, mirabiliter efficiens, ei condonauit, Et ſic uno tempore, ad lucem illum ex tenebris, a morte hunc, et ab inopia reuocauit. Cum atrociſſimum autẽ quendam, et crudeliſſimum, balnea quędam pertrãſiens, nomine Cherinthum inſpexiſſet hæreticum, vſque adeo prauitatem illius contra Deum tantam auerſus obhorruit, ut plus ne ad eam ipſe perhorrendam, et fugiendam, an ultio de cœlis exterminandam celer extiterit, iudicari uix potuerit. Vix enim limen, inde repente ſe retrahens, exiuit, cum totum ædificium ruens, cum ſuis omnibus hæreticum oppreſſit. In ore vero cũ ſemper haberet, Filioli diligite alterutrum, et quã ob cauſam in id ſemper inſiſtens nec deficeret, requiſitus, docebat, præceptum id quidem certe illud idẽ ipſum eſſe præceptum, quod uſque adeo docere ſemper et præcipere non deſtitiſſet præceptor unquam ipſe ſuus, et omnium Chriſtus, et ſi recte id, et uere fieret eſſe ſatis. Conſtat enim eum ad ultimum uſque fere ſuę ætatis, et uitę annum, ex Euangelio ſuo ſcripſiſſe, aut literis omnino mandaſſe nihil, ſed prædicatione tantum, uigiliis, labore, miraculis, et uirtutibus, tanquam unum è paradiſi fluminibus, in orbem terrarum uniuerſum illud effudiſſe ſemper, et annunciaſſe. Sed

ſe. Sed cum tria Euangeliorum uolumina, Matthęi ſcilicet, Marci, et Lucæ, ad eius notitiam, et manum peruenissent, exacte cuncta perſpexiſſet, et ueriſſima dixiſſe eos, et ſcripſiſſe, certiſſimamq; eorum fidem, et narrationis ſeriem dicitur, et ordinem, et ueritatem approbaſſe mirabiliter, et affirmaſſe. Sed per ſpiritum tamen eundem illum ipſum ſanctum, aliqua ſibi ſentiens etiam eſſe reſeruata, et rogatus ab Aſiæ fratribus et Epiſcopis, ut ea, quæ ante Ioannis Baptiſtæ mortem alii diuina diſponente ſapientia ei reſeruaſſent, perſcribere ſibi dignaretur, et uellet, Sanctiſſimis eorum petitionibus annuit, et iuſta benigne deſideria complexus eſt, et ſuſcepit. Nec rem talem tamen, tam ſacroſanctum Dei myſterium et tantum, prius incipere eſt auſus, quam publicum ieiunium, publicasque ſupplicationes, ad Dei miſericordiam, et tantorum gratiam ueritatis illuminandę myſteriorum impetrandam, ſæpiſſime fieri, ſanctiſſimeque uoluerit, nec ab humana exordiri ut ceteri origine, ſed ut qui ſupra Domini pectus in cęna obdormiẽs, euangelii ſui hauſtus, et fluenta ex eiuſdem pectoris Domini fonte, ubi theſauri ſapientiæ omnis, et intellectus abſconditi, hauriendo traxiſſet, a terra procul et omnium è conſpectu, ad cœlorum intima per Aquilæ ſpeciem contendens, et figuram, et ad patrem, et filiũ et ſpiritum ſanctum uſq; pertingens et penetrans, non ad tantorum modo myſteriorum lucem, et ueritatem illuminandam, verum ad tam iniquam etiam, et prauam Ebionitarum hęreticorum prauitatem delendam penitus,

penitus,et extirpandam, blaſphemare audere qui cępiſſent, patrem fuiſſe ante filium, nec filium fuiſſe ante virginem, Excelſius cœlis,vel ſupra exardeſcens etiam cœlos, et exclamans intonuit, In principio erat verbum,et uerbum erat apud deum,et Deus erat verbum, totum ſimile perſequēs. Quę quidem pars nō niſi a ſpiritu ſibi ſancto reſeruata, qui ſupra ſemper etiam cœlos,et in cœlis, Quod fuit,inquit,ab initio, quod audiuimus, quod vidimus, et manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ. Nihil enim eſt, quod ad viſionis altitudinem diſponat dirigatue magis,quam virginitas. Ecce, et in littore Dominus, in mare diſcipuli, tertio ſe eis poſt reſurrectionem aperiens, ſola virginitas virginem cognoſcit,exclamans,et dicens,Dominus eſt. Sed nec vnus tamen, nec ſimul omnes omnia, nec qualia quantaq; operata ipſa ſit pietas,et ſapientia, delitiæ cuius eſſent eſſe cū filijs hominum, cū talia fuerint,et vſq; adeo mirabilia et tāta, vt ne mundus quidē capere poſſet, perſcripſerunt. Nec eloquentiam,cum ſupra etiam eſſent eloquentiam, ſed ſpiritu ſancto pleni, ſpiritum ſunt, non elementa ſecuti, vel ipſe gentium etiam Doctor,et Apoſtolus, eius tamen verba,licet ſpiritum videre potius,et fulmina,quā ornamenta, non inquam omnia,ſed ex tantis, tamq; immenſis, et ſacroſanctis domini Sacramentis, atque Theſauris, pauca quædam, tamquam ex immenſo,altiſſimoq; tritici aceruo,atque monte,quaſi grana per Spiritum ſanctum ad Domini agrum,eodem cooperante ſpiritu ſancto,excolendum,

et au-

et augendum,collegere nobis,et reliquerunt. Vt de Domino igitur ſeruus,In principio erat,inquit,et quod fuit ab initio,Ita Dominus de ſeruo, Sic eũ volo manere donec,Donec,id eſt ſemper,uirginitas enim non moritur. Sic,inquam,et donec. Tu enim Petre me ſequere, per martyrium ſcilicet,et mortem.Hunc autem ſic volo manere,et donec,id eſt, liber vt ſit,et illæſus a gladij pœna ſemper,et a morte ſanguinis.Licet enim martyrij meritũ ei nunquam defuerit, uel ex infinito traditionis,paſſionis, mortiſq; domini redemptoris ſui dolore,grauiora multo et acerbiora,quam mors, et flagella perpeſſus, cum vndecim,ne in Domini ſui nomine prædicarent, cęſus, tanta in Aſia expertus, in incendium Romæ iniectus,ab hæreticis,ab infidelibus,a cæteris ad vltimum vſque uitæ ſuæ finem, contumelijs, et exilijs afflictus, non gladio tamen uel tormentis occubuit, ſed in pace, cum Dei aliquantulum Eccleſia, et religio quieſcere cæpit, Traiani ſcilicet tempore,non ita ut reliqui Imperatores in Chriſti fideles, et ſeruos ſæuientis. Sic dilectus, et tanti amoris, et honoris priuilegio carus, innocens, et fidelis, vt eſſe mirum non debeat, ipſum qui ſemper manet,velle ſemper eum manere, ſine quo etiam nunquam uoluit eſſe, ſiue in Monte,ſiue in Archiſynagogi domo, ſiue mittens ad patrem familias, ſiue ad ſoluendum, quod ſibi opus, et neceſſe eſſet adducendum,ſiue in menſa, ſiue in horto,ſiue in prætorio,ſiue vbiuis, nunquam ſine ipſo,nunquam magiſter ſine diſcipulo, nunquam dilectus ſine dilecto, nunquam ſine virgine

virgo.

virgo. Tantæ dilectionis,inquam,et amoris, vt vel no tus,et cognitus inter hoſtium manus, et furorem, non liber modo ſemper eſſe uoluerit,ſed in atrium etiam,et inter hoſtes, Apoſtolorum, et Eccleſiæ principem ardentiſſime, ſicut et ipſe,ſi quid Dominum erga ſuum, tanto in mærore poſſent, et redemptorem anhelantem, introducere potuerit, Nec introducere tantum eum, ſed et ipſe uerſari unus inter omnes,uel iuxta crucem, et ad finem uſque cum uirgine uirgo tutiſſime ſemper, et ſecurus. Nec uirginem relinquere alii Dominus in matrē, niſi uirgini,nec ipſum in filium voluerit, niſi uirgini matri.Fidelis inquā ſic, et dilectus,ut quo futurus(ut cętera mittā)in cœlis eſſet die,ei notum dominus etiā eſſe uoluerit. Quo die, cū interea ſemper oraſſet flagrantiſſime, annos licet nouem et nonaginta natus conuolans, Deo præſtante uires, ante lucem, uniuerſa comitante ciuitate, ad eccleſiam, ſacra uix albente naſcentis auroræ cœlo, peragens myſteria, populum ad horam uſq; fere tertiam allocuta Cygnea uox, uox inquam Cygnea, et cœleſtis eloquii ſonus,ardor,incendium, et tuba, præter cętera dicens, Fratres, et conſerui,et comparticipes, et cohæredes glorię cœleſtis,et Regni Dei, cognoſcite Dominum IESVM, cognoſcite quantas uirtutes, quanta miracula, quot, et quanta, et quam mirabilia per me ſigna uobis, et chariſmata præſtiterit. Perſeuerate filioli mei, perſeuerate ſemper in mandatis eius uniuerſis, non deficientes, me etenim de hoc mundo cupientem uocare dignatus eſt.

Et iubens foueam, deflente uniuerſo, et lachrymãte populo, ante altare fieri magnam, paſſis in eam manibus ingrediens, Vocatus ad conuiuium, inquit, et regnum tuum uenio, Domine IESV, lętus, et gratias agens, quod me tecum ſis, et cum fratribus meis uocare dignatus, ſciens quo incendio ardebam te uidere, Domine IESV. Vidi faciem tuam, et quaſi de ſepulcro excitatus, odor tuus uniuerſas in me delitias excitauit æternas. Alloquutio tua ſuper incomparabilibus eloquiis, et concentibus, et angelorum choris. Quoties te rogaui, Domine IESV, ut uenirem, et dixiſti mihi, Expecta, donec populum in me liberes crediturũ. Et cuſtodiſti ab omni pollutione corpus meum, et animam meam tuę uirtutis ope ſemper illuminaſti. In flagellis, in uinculis, in tormentis, in flammis, in incendiis, in ueneno, in ſeditionibus mecum ſemper fuiſti, Nec me, cum in exilium irem, et redirē; unquam dereliquiſti, et uerbum tuum ſemper ex ore tuo meis auribus audiui, et meis oculis uidi. Nunc tibi, Domine IESV, commendo filios tuos, quos Eccleſia tua ſancta uirgo, et mater uera, tibi per aquam, et ſpiritum ſanctum regenerauit, et fecit. Cuſtodi eos, et me ſuſcipe, Domine IESV, aperi mihi pulſanti ianuam uitę. Non mihi princeps tenebrarũ occurrat, nec pes ſuperbiæ, uel manus extranea contingat. Suſcipe quæſo me, Domine, ſecundum uerbum tuum: Suſcipe in regnum precor, et conuiuium tuum, ubi tecum epulãtur omnes amici tui. Qui cum patre, et ſpiritu ſancto ab utroque procedente, uiuis et regnas in ſæcula

cula ſeculorum. Quo ſic orante,lux adeo per unam ſe re de cœlis horam tanta circunfulſit eum ſic, et texit, vt non eam ferre modo oculi, ſed nullus intueri poſſe uideretur etiã aſpectus. Fouea ſcaturiẽte illico tãti odoris, et fragantiæ manna, et tantis in cęlum uſque miraculis decorata, ut non ciuitas ulla, non pagus, tamue domus exigua, quin ad tanti nominis gloriam,cum infirmis,et languentibus quotidie conuolare cerneretur, nec infirmitates, et lãguores modo curarentur,cęcis lumen redderetur,dæmones effugarentur, ſed locus ob fragrantiam tantam, et odorem, paradiſi locus, et Angelorum eſſe uideretur. Cuius uirgineum, ſanctiſſimumq;, et glorioſiſſimum corpus, pie ſicut de Beatiſſima ſemper uirgine,lætari, et perpetua creditur in cœlis,et plena reſurrectionis gloria frui. In cuius etiam gloriam et honorem,uel in celeberrimis Lateranenſium,et Conſtantini ędibus, et Palatio, ab eodem Conſtantino ipſo Imperatore, et Silueſtro Pontifice ſanctiſſimo, celeberrima totius orbis terrarum, et auguſtiſſima ędificata eccleſia, ac præter in ea ſanctorum infinita etiam aliorum, et rerum monumenta, deſuper eius altare maius,Nobiliſſimis columnis quatuor,miro ſuffulto decore et editiſſimo, ferreis cratibus ampliſsimis quadrato,nec pulcherrimo minus aſpectu,quã munitiſſimo,tutiſſimoq;, et maieſtatis,et gloriæ pleniſſimo loco, diuorum Petri, et Pauli Apoſtolorum capita ſolennibus ſtatisque diebus, eo populorum concurſu, et deſideriis, ut non gratulationibus tantum reſonent & plauſibus

uniuerſa

uniuerſa, ſed nullius etiam ædificii magnitudo, multitudinem tantam, uel pluries in die capere poſſit, oſtenduntur, et gratiarum actionibus ad Dei gloriam et honorem quotidie glorificantur, Sicut etiam in eiuſdem Principis Apoſtolorum, et Eccleſiæ Petri, ab eiſdem Imperatore, et Pontifice ſanctiſſimo conſtructa, et ædificata ad triumphalem uaticani uiam, tantæ alia maieſtatis, et gloriæ, tanti totius orbis terrarum honoris, tantæ animarum fælicitatis, et ſalutis, ut non adorari modo tam glorioſa limina ſatis, ſed ſatius etiam cogitanda relinquere, quam de his pauca, quæ ne cogitatione quidem complecti, ianua ut cœli, et paradiſi porta, poſſint ſcribere. Sub cuius itidem altare, eorundem ſanctiſſima diuorum Petri, et Pauli Apoſtolorum corpora, tanta ſemper adorari ab omnibus, et uenerari gloria, et concurſu non deſiſtunt, et honore, ut non ad uiam eccleſia tanta, et corpora abſq; cauſa triumphalē, celeberrimumque Vaticanum, celeberrimum autem non triumphorum plauſibus, et lætitiis olim inde quidem tranſeuntium, ſed tantorum gloria, et honore Apoſtolorum, pro totius orbis inibi terrarum fælicitate, et gloria commorantium, Vt non leues iam, et inanes amplius inde triumphi, nec per uim ex libertate in ſeruitutem, et tyrannidem rapti, ſed ex tam infinita perpetuæ tyrannidis, et miſeriarum calamitate, in gloriam tantam, et fælicitatem, redempti, ita quotidie celebrentur, fiantque ſemper et adorentur, ut cœlum repleant, et totum illuminent orbem, tam cœleſtes, tam

quẽ totius orbis terrarum, tanquam ad communem omnium matrem, fęliciſſimi concurſus, ſupplicantium uoces, redemptiones animarum, ſacrificia miſſarum, paradiſi inſtar ſolennia tanta, preces, gaudia, plauſus, honores, et triumphi. Præſtante ad tantorum Apoſtolorum tantarum principatum aliarum omnium tenentium ecclesiarum, gloriam, et honorem, Domino noſtro IESV Chriſto, qui cum patre, et ſpiritu ſancto ab utroque procedente, ante omnia uiuit omnipotens, et regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

EX DIVI THOMAE APOSTOLI VITA.

THOMAS, qui et Didymus,ab optimis, et ſumma religione parentibus hebręis, ſanctiſsime ſemper, et a noxiis omnibus alieniſsimus, et paupere uita inſtitutus, ut iuſtiſsimus, iuſtiſsimam artem exercens piſcato riam,ſuo ſe labore,et illos pietatis, et innocentiæ pleniſsimus alebat,Nouiſsimus ad apoſtolatum uocatus,ſed ad uocantis uocem ita nō cunctatus,tamque pręſentis animi ſemper,et deſiderii tanti,ut non ad omnia quęcunque tantum pro eo ſubeunda pericula et mortem paratus,ſed ad cunctationem non unquam etiam aliorum, et ægritudinem tollendam ardentiſsimus hortator et primus. Cui ſublimiorem contemplationis,et myſteriorum altitudinem reſeruans dominus, cum poſt reſurrectionem cæteris apparuit, diuina diſponente, et noſtram ſalutem operante, ſapientia, non aſtuit, Et dubitando reuerſus, non incredulitatem ex omnium modo mentibus, et animis, cum uidere inſiſteret, uidens eripuit, ſed manum in vulnerum et clauorum loca inferens et exclamans, Dominus meus, et Deus meus, etiam infidelitatē amputauit, lucem induxit, fidem firmauit,dubitādi occaſionem ex omnium cordibus euellens, ullā vlli non reliquit. Partis,Mædis, Perſis, Hyrcanis, Bactrianis prędicauit. Indorum gentem totā ardore nigram ſolis, ſanctiſsimi ſpiritus intus

ardore

ardore candidiſsimã fecit. Neque uero mirum,cum ardentiſſimus, et tantus ille idem ipſe ſpiritus, in linquas uſq; eo uehemẽter ignitas diuiſus, tanto ad quos aduolaſſet, illuminans ardore inflammaret, ut quod linguis adeo accepiſſent ardẽtibus et igneis,Igneis etiã linguis aliis,inde alii aliis impertirent. Cum poſt multos itaq;labores,multa miracula, et gentes infinitas a ſe conuerſas,et loca,et nationes, in Cæſarea Syriæ Prouinciȩ ciuitate,Chriſti uerbum prȩdicare, deorum tem pla,et ſimulacra deſtruere,mortuos ſuſcitare, baptizare uniuerſos, et inflammare non deſiſteret, Ad altiorem extollere gloriam, et honorem, tam fidelem operam, laborem,deſiderium,fidem,et ardorem,volens Dominus,ad intimam eum et ferociſſimam Indorum nationem et gentem, ſuis a ſe laboribus, et martyrii corona et triumpho acquirendam,dimiſit.In Indiam igitur,et Indiȩ Regem, cum Abane Regis prȩfecto,qui ad inquirendos et conducendos artifices, & hominem artis architectonicæ peritiſsimum,ad palatium Regi ædificandum, uenerat, proficiſcitur. Quo in itinere, cum prȩter alias utilitates, lucra,miracula, et operationes, Pelagiam Regis Andrinopolis filiam,quæ nuptui tum caſu traderetur, et ſponſum eius Dionyſium benediceret, et ad uirginitatem ſua etiam prædicatione hortaretur, et inflammaret, manibus ſuper utriuſq; caput impoſitis,Deus,orabat, Abraam, Deus Iſaac,Deus Iacob, hos benedic adoleſcentes, et ſemina in mentibus eorum, et corde ſemen æternæ dilectionis, et uitæ, ut quicquid

quicquid pro utilitate ſua didicerint,id et uelle ſemper, et enixe facere cupidiſsime ualeant, et aſſequi mereantur. Et iterum, Habetis integritatem,quæ fida uirtutum comes et ſeruatrix omnium, virginitas enim fæliciſsima ſoror, et comes angelorum, bonorum certiſsima cuſtos, libidinum quies, et æterna ſecuritas, theſaurus honoris, gloria ſanctorum, gaudium cœli, decus uitæ, trophæum fidei, dæmonum fuga, uictoria de inimicis, fæliciſsimæ uiſionis, et gloriæ triumphus, et ęterna poſſeſſio. Cuius prędicationis ardore uirginitatem ardentiſsime ſeruantes, prædicatores cum poſtmodum mitteret eis etiam, et presbyteros Apoſtolus, Dionyſius Epiſcopus factus ciuitatis, ſponſam ſuam Regis, ut diximus filiam, ſponſam adeo fidelem Chriſto obtulit,vt duplex etiam martyrium obtinuerit. Vnum, quod virum habere Chriſti amore contempſit, Alterum, quod pro fide mortē obire meruit, ſuper cuius etiam tumulo literis græcis inſcriptum fuit, In hoc ſepulchro iacet Pelagia ſponſa Dionyſij,quæ filia fuit Thomę Apoſtoli. Ad Indię itaq; Regem cum Abane perueniens, multa de artis ſuæ peritia, et myſterijs, coram omnibus a Rege cum honore requiſitus, Ego pono, inquit,fundamenta,quę non veteraſcunt,erigo parietes, qui nunquam corruunt,facio feneſtras et exedras, vt non minus vnquam luminis,quam cum fulgentiſſime luceant, habeant & ſplendoris. Fabricam totam in altitudinem diſpono talem, et tantam, vt totum ædificium præexcellens vniuerſa conſpiciat.

cōſpiciat. Aedificia mea, quamuis omnem extrinſecus honorem habeant, et decorem, dignitatis plus, et glo-riæ tamen intus habent et pulchritudinis. Et Dominus meus filius eſt unicus regis, et tenet pater eius regnum in altiſsimis, et uſque adeo ſupernis excelſisque montibus, ut nullus unquam pateat aditus hoſti, nullus inueniri poſſit infirmus, nullus pauper, nullus alicuius indigens. Et ſum unus ego ex ſeruis eius innumerabilibus; qui omnes diuerſas artes ſcimus, et imus ad diuerſas nationes, et gentes, et prouincias, et quicquid ex arte noſtra lucri facimus, ei cum fide totum apportamus. Et arundine metiri incipiens, et demonſtrata ædificii forma, pulchritudinem totam et decorem expoſuit. Admiratus Rex, Rex ſcilicet Gondoforus in Regia Indiæ ciuitate Hieropoli, ſcientiam hominis tantam, et maieſtatem, Vere artifex, inquit, uerus es, et te decet Regibus inſeruire. Et mirabiliter eum amãs, grandi inędificium ei pecunia in bellum diſcedens relicta, per biennium non reuertitur. Qua interim tota, cum ad Chriſti fidem prouinciam, ne nocturnis quidem temporibus ad laborem intermiſsis, conuerteret, deorum templa deſtruens, eccleſias ædificaret, pauperibus erogata et egenis, et Rege, pace iã è bello facta, reuerſo, nec infeſto minus animo, cum ſic præter opinionem mutata reperiſſet uniuerſa, quam furoris, et iracundię pleno, ut Apoſtolũ cum Abane, qui eum cõduxiſſet, excruciatos interficeret, detrudi ſtatim iubet ambos in carcerem. Cum eius ecce, quem non minus

quam

quam ſe ipſum diligeret frater, cui nomen Gad, in morbum ſubito incidit, ex quo non conualuit. Et ſicut inopinata infirmitas eius et mors, martyrium et mortem diſtulit Apoſtoli, ita in ipſo concurſu, et longo exequiarũ apparatu, reſurgens ille, cuius exequię fierent, et ſtupor factus omniũ ingentiſsimus, et terror, et ſilentiũ, ad omnes ille conuerſus, pulcherrimũ ſe gemmis intus, et foris uidiſſe Palatium docet in cœlis ornatiſsimum, a Thoma Regi, nec alia quã oſtendiſſet forma, et dignitatis gloria, ædificatum, ſeq; ueniſſe ut illud ſibi emeret, cum illo ſe Rex indignum facere uoluiſſet, non ſolum pecuniam ſe illam perdidiſſe exiſtimans, ſed in exitium conſpirans, et mortem Apoſtoli, cui beati fauerent omnes in cœlis, et angeli Dei. Quo miraculo tanto et terrore, cum non minus baptizari cum Rege feſtinarent uniuerſi, quam qui reſurrexerat de palatio perurgens et ſolicitus, Conuerſus ad eum Rex, Cum meum mi frater hoc, inquit, quod ædificatum mihi ſit, eſſe debeat, aliud tibi, uel ſi maius etiam poſſit, et pulchrius ædificetur, ſin minus, hoc tam utrique præclaro contenti, non meum magis, quam tuum, nec tuum minus quam meum, ſed tam mihi quam tibi cõmune ita ſemper ſit, et ita ſatis, ut neuter unquam eiùs indigeat. Docebat eductus è carcere cum honore iam Apoſtolus, Infinita ab origine mũdi, et innumerabilia, gemmis, et auro ędificata in cœlis, et conſtructa, et ſedes, et domos, et palatia, ſed ea cõſequi poſſe neminem, niſi pretio fidei. Propterea, ſi talia in cæleſtibus emere, prædicabat Dei

ſeruus,et habere cupitis, diuitiæ ueſtræ prçire uos quidem ad illa ueſtra uobis efficiendā poſſunt, ire uobiſcum uero,uel ſequi, nullā poſſe ratione comprobantur. Dare illas ergo ſatagite pauperibus et egenis, et permittite ſeruire,dum poteſtis,indigentibus, et palatia ibi, et cuncta gemmis,& auro vobis ornatiſſima reperietis, vbi nullæ anguſtiæ, nullus finis, nullus terminus eſſe poſſit. Et cum non modo tota cum Rege ciuitas ad miraculum tantum, et Apoſtoli prædicatione Baptizarentur et crederent, ſed ex longinquis etiam regionibus ad famam tāti nominis, et miraculorū in dies etiam innumerabiliū cuncti properare feſtinarent, portantes coronas aureas et veſtes, vt eum induerent, et tanquam Deum in deorum numerum referrent,et adorarent. Et cum tanta iam cum leproſis,languentibus,et infirmis, vt ſanarētur a languoribus,multitudo conueniſſet, ut nullum ædificium, nec tanta ædificij magnitudo multitudinem tantam capere poſſet, ducens eos in ampliſſimæ ingentiſſimæq; latitudinis campum, ad Garizim montis aſcenſum, & tollens in eorum medio manus in cœlum,exclamauit. Agie inuiſibilis,et incomprehenſibilis, et immutabilis perſeuerans, qui miſiſti nobis illuminatorem filium tuum, qui veniens dedit nobis apoſtolis ſuis poteſtatem,vt omnibus doloribus, omnibus lāguoribus, omnibus infirmitatibus in ipſius nomine mederemur, et dixit nobis, Quæcunq, petieritis a patre in nomine meo,præſtabit vobis. In ipſius ergo te nomine deprecamur,vt ad horum febres et rigores

res, et languores, medela tuæ maieſtatis accedat. Reddatur, obſecro, ſurdis auditus, cæcis viſus, claudis greſſus, et varia eorum omnis infirmitatis effugetur ab eis oppreſſio, vt cognoſcant omnes, quia nemo præter te Deus, ſed tu omnipotens, et vnus, et æternus, qui cum filio tuo IESV Chriſto, et Spiritu ſancto, ante omnia uiuis et regnas in ſæcula ſæculorum. Et cum fulgentiſſimus, non aliter ac fulgur de cœlo, cecidiſſet repente ſplendor, et ſinguli proſtrati oraſſent cum Apoſtolo diu, et ſalui ſurgentes et incolumes, Deum collaudarent, Aſcendens ſupra petram, ut uidere tamquam è ſuggeſtu omnes, et uideri ab omnibus poſſet, Audite, inquit, omnes, et uerba mea diligenter attendite. Dominus meus IESVS Chriſtus, cuius ego ſum ſeruus, miſit me ad uos, et hunc ipſe populum uiſitare dignatus eſt, et ab omnibus infirmitatibus curare et languoribus. Hæc dona ueſtra, aurum, ueſtes, et præmia, quę mihi obtuliſtis, et offerre cupitis, erogate pauperibus, et egenis, Non ſum enim ego Deus, ſed ſeruus ſum Dei, et homo ſicut et uos, et ad uos ideo miſſus, ut doceam recedere à ſimulacrorum cultura, et idolis, et creatorem adoretis unum in cœlis omnipotentem. Audite ergo uiri omnes, et mulieres, pueri, et puellæ, iuuenes, et uirgines, adoleſcentes, et ſeniores, ſerui, et liberi, audite omnes. Si ad uitam cupitis æternam ingredi, primum credite in Deum hebræorum, et unigenitum filium eius IESVM Chriſtum, et in ſpiritum ſanctum, non ut tres Deos putetis, ſed unum, nec ſic

unum, ut ipſum puteris patrem, ipſum filium, ipſum ſpiritum ſanctum, ſed patrem genitorem filii, filium unigẽitum patris, Sanctum uero ſpiritum, non naſcentem, ſed ex patre et filio procedentem, una ſcilicet ſubſtantia in trinitate. Credite ergo patrem ſempiternum cum ſpiritu ſancto fuiſſe ſemper, ſemper et filium habuiſſe, quia Deus immutabilis eſt, et eſt, quod eſt.

Primum ergo fructum et præmium habebitis, ſi uere crediderit is.

Vere credentes baptizemini.

A fornicatione abſtineatis.

Ab auaritia temperetis.

Gulæ moderemini.

Pænitentiam teneatis.

Perſeuerantiam in bonis operibus conſeruetis.

Hoſpitalitatem ſectemini.

Quæratis, quę ſit uoluntas Dei, et eam faciatis.

Et quid ſit, quod uult fieri Deus.

Et quod non uultis fieri uobis, alteri ne faciatis.

Charitatem non ſolum omnibus amicis, uerum etiam inimicis non negetis.

Omnem demum intentionem ad horum, cęterarumq; uirtutum omnium dotes cuſtodiendas dirigatis.

Vt qui plures habeat et maiores æternasque diuitias, plus etiam ualeat cuſtodire, ne perdat.

Et cunctis baptizari ardentibus, baptizatisque, præter cæteros, nouem uno die millibus, in Indiam ſuperiorem per reuelationem proficiſcitur. Et cum ad miracula

cula tanta feſtinarent omnes, et confluerent, flens ita ſuper infirmos,et leproſos, et languẽtes, cum mortuos etiam ſuſcitaret, orabat. Creator uiſibilium omnium Deus et inuiſibilium, qui nobis per IESVM Chriſtum dilectiſsimum filium tuum, tribuere uoluiſti poteſtatem,cæcos illuminandi, dęmones effugandi, mortuos ſuſcitandi, Vt cognoſcant omnes,quod tu unus ſis Deus, et non alius præter te, iube per manus ſancti Angeli tui, ut expolietur infirmus hic a lepra ſua tanta, ut ſaluus te cognoſcat,et ueneretur creatorem ſuum, et ſaluatorem. Quem cum,ueluti corio mirabiliter exutum, cunctis Deum laudantibus, incolumem et ſaluum reddidiſſet, Theſaurus cœleſtis patet, inquit, omnibus, & qui credunt ex toto corde ingrediuntur in illum, et qui uere crediderit,dignus erit ſacramentis eius,et myſteriis. Et iterum. Quoniam uita noſtra, in qua nati ſumus et uiuimus, adeo miſera et caſibus ita ſubiacens et caduca, ut cum teneri putetur, labefacta diffugiens euaneſcat, ideo lux de cœlo uenit,lux,inquam,et ſplendor illuminans, Dei unigenitus,et alteram demonſtrauit, et adeo meliorem docuit, et oſtendit eſſe uitam, ut mortem nunquam incurrat, nunquam dolorem, nunquam gemitum, nũquam triſtitiam,ſed in gaudio ſemper,in letitia,in exultatione.Nõ enim poterant filii hominum mortalium, ad immortalitatem efferri, niſi per aquam,et ſpiritum ſanctum renati filii Dei. Ideo uos heri,et nudiuſtertius uocaui,ut corpora veſtra ſanarẽtur a languoribus,et infirmitatibus.Hodie,ut medica

mento

mẽto verbi Dei,cum illud uere ſuſceperitis,ſpiritu et ani ma ſaluemini. Audiui enim vocem Domini mei vocantis me, et quia tempus eſt iam migrãdi de corpore iſto, ſuſcipite filioli mei regenerationem hãc, et vitam, quæ datur à Dei filio per aquam,et ſpiritum ſanctum,vt efficiamini filij Dei, et effecti Dei filij,eccleſiam diligite, ſacerdotes honorate, aſſidui ad audiendum verbum Dei conuenite. Et ab ipſo ſuperioris Indię Rege Amygdęo, quod ſic prædicaret et doceret; et vt Indiam inferiorẽ Gondofori totam cum Gondoforo Rege, ita et ſuam etiam ſuperiorem conuertiſſet, et Regina eius vxor eſſet etiam per eum fidelis et crederet, detentus eſt,et in carcerem miſſus. Et de carcere media nocte veniens ad eam,Conſtans,inquit, eſto Mygdonia,quia ſicut tu ad gloriam per me et vitam, ita ad coronam ego per te fælicitatis et martyrij perueniam. Et rediens in carcerem, et de carcere ductus ad Regem, incendio prope furoris inſanientem, quod vxorem ſuam conieciſſet,vt quærebatur,in pręcipitium,et ut conatibus id magicis et artibus effeciſſet, ita eodem etiam eam conſilio reuocaret, vel omnium ſubire cruciatuum exempla feſtinanter eligeret. Cum tu homo ille ſis, inquit, et mundos tamen cupias habere ſeruos,et mundas ancillas, quãto ille magis qui in cœlis eſt, omnipotens, munda requirere credis,et habere velle caſtiſſima ſeruitia? Qui enim ſe a libidine tollit,et remeat ad innocentiam,non,vt ais, in præcipitium,ſed ex præcipitio venit ad ſalutem, et ex tenebris et morte, non ad eam ſolum quę finem non habet

vitam,

vitam, ſed gloriam acquirit in cœlis, et poſſidet etiam ſempiternam. Turrim fabricaui excelſam, et dicis mihi vt illam ego deſtruam. Terram fodi profundiſſimam, et de abyſſo fontem eduxi, et illum quæris vt obruam. Tu enim, o Rex temporalis, ſi non vt iuſſeris fiat, tempo raliter punis, Deus autem æternus, ſi ſua contempta vo luntas fuerit, non temporaliter, ſed æternaliter punit. Et poteſtatem quidem, ò Rex, habet corpus et animam perdere in gehennam. Cum nil tum Regi deliberatius, quam vt illum, ſi non ſacrificaret, excruciatum occideret, Reginæ tamen ſororem prius ad Reginam uxo rem mittens, multa pollicetur, ſi adhortante ipſa, et adiutrice, ad ſanitatem reuerteretur, et ab iniquiſſimi hominis eluſionibus, ad Deorum cultum, ſoror à ſoro re reuocetur. Cum feſtinanter ad ſororem cum mandatis illa perueniſſet, et Symphori militię principis filium à morte ab Apoſtolo reuocatum, Synticen Reginæ amicam et ſuam, lumen cum cæca eſſet, per eundem recepiſſe, ab eo ſalutem omnes, et vitam accipere, mortuos ſuſcitare, morbos depellere, dæmones effugare, fælicio rem alteram et neſciam doloris, et immortalem vitam promittere, conuolare ad eum omnes, & cupidiſſime ſequi inueniſſet, dehortata ſororem modo non eſt, ſed cum ea Deum collaudare cæpiſſe, vbique rumor et fama reſonaret, vir eius dolenter Caritius, Hunc niſi, exclamans, ò Rex, inquit, interficere feſtines, noſmet etiã ipſos, nedum vxores noſtras, in interitũ mittet. Ferreæ tum latæ parantur, et ignitæ lances, ut in eis, dum uita

ſuperſit,

ſuperſit, excrucietur Dei ſeruus. Sed tantæ de cœlo tempeſtates, ut in illis maiores aquæ regionibus unquam uiſæ non fuerint, incendium totum extinguūt, et mirabiliter ignem. In fornacem, ut tres pueri, ne ſubueniri poſſit, incluſus ardentem, poſtero die uegetior exiens, Chriſtum incolumis prædicare non deſtitit. Ad Solis idolum per oppreſſionem tractus, ut ſacrificet, Tibi loquor, exclamans inquit, et præcipio, dæmon, qui in iſto ſimulachro latens, deceptis reſponſa das et ſtultis hominibus, tibi loquor, inquam, et præcipiens adiuro, in nomine Domini mei IESV Chriſti, quem crucifixerunt Iudæi, ut inde diſcedas, et hic ſtes coram me, et quod imperauero facias, quod niſi repente perfeceris, rogabo Dominum meum IESVM, et mittet angelum ſuum de cœlis, qui te releget in diem uſque iudicii, et conſtringat in abyſſum. Ne me, quæſo, tum dæmon tremens inquit, apoſtole Dei, releges in abyſſum, ſed permitte mihi et iſtos, qui te excruciant, omnes interficiam. Tibi præcipio, inquit, nulli ut hominū noceas, et quod imperauero facias. Lingua autē loquebatur hebræa, et nemo ſciebat quid, aut cui loqueretur. Et ad Regem, Niſi ego in Dei mei nomine IESV Chriſti, ſimulachrum hoc totum perfregero, non illum tantum adorabo, ſed ei thura offerens etiam ſacrificabo. Si a me autem cōminutum fuerit, et confractum, par et æquum eſt, ut relinquens errorem Dei tui, redeas ad ueritatem Dei mei. Tui ſcindam gutturis, ille inquit, arterias, ſi non adoraueris, et ſacrificaueris ei.

At

At ille. Ecce adoro,ſed nõ ſimulachrum, ádoro ſed nõ metallum. Adoro, uenceror, et inuoco Dominum meum IESVM Chriſtum, in cuius gloriæ nomine, et honore, tibi pręcipio ſatan, et adiuro, ut neminem lædens, idolum hoc, in quo homines decipis, totum diſſipes atque frangas. Quo comminuto ſtatim,et diſſipato,ululatum in apoſtolum,et quaſi ſuo more mugitum tollentes idolorum cuſtodes, ut eum occiderent, Propinqui autem Regis et populus, non ei modo fauerent,ſed ſummo cũ honore et plauſu etiam adorarent, per ſententiã ſubito Regis,cum pro eis etiam, a quibus occideretur,oraret, coruſcans miraculis, telis transfoſſus occiditur,Lachrymante,et plaudente iuſtorum multitudine et populo, tam ſacram cernentes,tot ſtipatam Angelorum choris, et fælicisſimam cœlos ingredientem animam. Cuius ſanctiſſimum cum honore corpus in Calamina ciuitate ſepultũ, ante cuius ſepulchrum, lychnus ſine olei, uel alterius rei nutrimento,perpetuo lucere,nec extingui uento, nec minui tempore poſſe, ſummo ſplendore cernebatur. Sed quod in Edeſſam inde Syriæ ciuitatem transfertur, non prætereundum eſt. Quod cum Regis filius in tam grauem morbum,et difficilem incidiſſet, ut nullius poſſet ope, uel medicamento ſubueniri, tantorum Apoſtoli miraculorum non immemores, et ut eum curare poſſent, cuperent ut uiueret et adeſſet, cum de reliquiis eius quęrerent, nec inuenire poſſent,quod translatum inde corpus(ut diximus)eſſet,De illius loci,quem ſaltem tetigiſſet,pul-

uere ſaltem ſibi Rex, ob filii amorem afferri cum iuſſiſ-
ſet, et ſuper filii caput imponeret, repente ſanus et
incolumis efficitur. Poſt miracula in Edeſſa etiam ci-
uitate etiam infinita, in Inſulam transfertur Chion, Inde
in Italiam ad oppidum in Aprutiis regionibus Or-
tonam. In ueneranda cuius oppidi Eccleſia coruſcat
miraculis in pręſentem uſque diem. Quæ ſedes olim
Epiſcopalis, nunc ſub Theatina diœceſi, mirabiliter
quod tantus inibi uenerararetur et eſſet apoſtolus, ama-
batur, et ſuis Vicariis omnibus commendabatur, a
Paulo iiii. Põtifice Sanctiſſimo, et ob eã cauſam Scipio
Rebiba piſarũ Cardinalis, eam cũ Theatinę Vicarius eſ-
ſet eccleſię, præcepti tanti pontificis memor inuiſit, San
ctiſſimum apoſtoli caput, a ſanctiſſimo corpore ſeor-
ſum, et in argenteo capite circumcluſum, ſummo ſæpe
populorum concurſu, et gratiarum actionibus oſten-
dit, et de miraculis eius, et uita prędicauit. Præſtante ad
tanti apoſtoli gloriam et honorem Domino noſtro
IESV Chriſto, Qui cum patre et ſpiritu
ſancto ab utroque procedente, ante
omnia uiuit et regnat omni-
potens in ſæcula
ſæculorum.
Amen.

EX DIVI SEBASTIANI MARTYRIS VITA.

DIVVS Sebaſtianus ex nobiliſſima Galliç ciuitate Narbone, nobiliſſimo genere, familia, et diuitijs, Mediolani eruditus, Diocletiani, et Maximiani Imperatorum, cum inuictiſſimæ virtutis, et fidei miles fuit, tum gratiæ tantæ apud eos, et amoris, ut non totius aulæ modo, ſed eorum etiam ipſorum, ac ſuorum omniummet cuſtos vitæ, ſemper eis, cohortis prætoriæ princeps aſſiſteret. In ſermone verax, in iudicio iuſtus, in conſilio prudens, in commiſſo fidelis, in vniuerſa vitæ, ac morum omnium honeſtate, gloriç tantæ ſemper et honoris, ut ei anteponi nemo poſſe uideretur. Hunc amabant, hunc venerabantur, charũ hunc habebant Imperatores, Hunc in Imperatorum aula omnes, ſenes, iuuenes, milites, et uniuerſi, tanti amoris ardore venerabantur, et affectu, ut eſſe neceſſe uideretur, quem tanta Deus omnibus gratia eſſet, et dignitate anteire dignatus, utnon diligi tantum ab omnibus et amari mereretur, ſed tanquam etiam Angelum eum intuẽtes uniuerſi, à ſe diſcedere principes, et abeſſe non paterentur. Militari itaq; ornatu, fortiſſimus Chriſti miles et ornatiſſimus, ut ſummi laboris continuatione, ac fidei ſemper, et amoris, aſſiſteret, non deficiens Imperatoribus, ita prçſtare Chriſto continuum, et exhibere non deſiſtebat in ſeruis ſuis (occulte tamen) et Mar-

 tyribus

tyribus obſequium, laborem, operam, et officium. Occulte autem, non terrore quidem mortis, vel tormentorum, quę tam crudeliter fidelibus inferebantur, cum pro Chriſti fide uel cuncta ſubire arderet, et perferre cruciatuū et flagella dolorum, Non patrimonij, bonorumue, quæ tam rapaciter auferebantur deſiderio, uel amore, cum pro Chriſti gloria et honore cuncta cupidius indies inflammaretur et arderet effundere, Sed ut ijs, quos tantis cruciatibus, et uſq; adeo crudeliter interfici quotidie neceſſe eſſet inſpicere, opem ferre poſſet opportunius, et ſubuenire, et ſuo animas creatori reſtituere, quas tam enixe per cruciatus et tormenta conaretur, et contenderet de eius, et eccleſię manibus antiquiſſimus humani generis hoſtis eripere. Sed ut ſimulata uirtus eſſe diuturna non poteſt, ita occultari diſſimulata diutius et tegi, quin et quo ſplendore, et quanta eſſet, appareret, non potuit. Datis enim Marco, et Marcelliano ditiſſimis geminiſq; fratribus, decem dierum (eo quod nobiliſſimi eſſent) indutijs, ut uel Chriſti nomen et fidem denegarent, uel vniuerſis excruciati ſupplicijs occiderentur, et ita lachrymātes, et auxilium ab omnibus implorantes affecta ualetudine parentes, paſſis ita manibus vxores, et capillis filios oſtentātes, et labore uniuerſi tanto, et ploratu, à Chriſti fide reuocare niterentur, et cōtenderent, ut nullius eſſe uis, nullius animus, nulla fortitudo, quanquam fortiſſime ſubſiſterent, eſſe tanti, quin ad uim lachrymarum tantam, et dolorum, remolleſcere tandem, et remitti poſſe, uideretur

deretur, In medium, ne tam candidę deperirent animę, tam fidelis proſiliens et tantus Chriſti miles, et ſeruus Sebaſtianus, O fortiſſimi uiri, inquit, et fælicisſimi, tã glorioſi certaminis et prælii bellatores, ad gloriam, precor, ad coronam, tot laboribus et tantis acquiſitam: Victa uirtus eſſet uirtute ſubleuanda, et ab animi fortitudine petendum uires, et auxilium, nedum explorata labore tanto, et adepta iam uictoria. Inclinatum non timete, proſternite redintegràtis uiribus, o uiri fortes, uirtutis, et glorię ueſtrę memores, hoſtem. Diſcat per uos inuicta militum Chriſti uirtus, ardor, et fortitudo, fide potius armari, quàm ferro, Fide, quam uiribus, eſſe fortis, quam arte; uel armis tutiſſima ſemper, et ſublimior, et fælix. Cum de cœlo ecce ſubito ſplendor, et fulgentiſſimus in eo iuuenis, pallio candidiſſimo, dicens, Tu ſemper mecum. Quod muta uidens Nicoſtrati uxor (nam Marcum, et Marcellianum tenebat cum cæteris fidelibus domi ſuę uinctos Nicoſtratus) ad Sebaſtiani proiecta pedes, et lachrymans, manu cœpit, et nutibus, quæ ſuper eũ ſigna uideret et mirabilia, oſtendere, et quibus poſſet indiciis et ſignis, cum uocem exprimere non poſſet, aperire. Rei tantæ cauſam admiratus, et ſilentii, Dei ſeruus, cum quæſiſſet, ſexq. iam eam annos ex infirmitate loquelam amiſiſſe intelligeret, et licet auditum retinuiſſet, exinde mutam ſemper tamen extitiſſe percepiſſet, totus in cœlum conuerſus, et in Deum; Si uere fidelis ego, et uere ſeruus, inquit, ſum Dei, et uera quæ tam admirari muta hæc, et

adeo

adeo vehementer, et enixe, vt declaret, et aperiat, ardere videtur, iubeat Dominus meus IESVS Chriſtus, vt ei reſtituantur officia labiorum ſuorum, et aperiatur os eius, ſicut apertum eſt os Zachariæ prophetæ Domini. Et confeſtim, Beatus, exclamans illa inquit, es, et benedictus ſermo oris tui, et beati qui per te credunt Chriſtum filium Dei. Vidi enim meis oculis, et audiui angelum ad te de cœlo venientē, et librum ante oculos tuos aperientem, et ex eo libro vniuerſa tui oris effluēs, emanabat oratio. Et ſicut aurora ſuperoriens caliginem vniuerſę noctis, et tenebrarum vmbras excludit, et diei lumen, quod atra nox abſtulerat, reſtituit, ita ſermonum tuorum veritas, et candor, non omnem à mę modo mendacij, et ignorantię cæcitatem, abſterſit, et claritatis lucem poſt tenebras infidelitatis induxit, Verum et mei oris etiam oſtium, et ſermonis, ſex iam annis occluſum, mirabiliter aperuit. Miraculo tanto fidelis iam Nicoſtratus vir eius, et tremens, O quam beatus, inquit, eſſem, & fælix, ſi cum ijs, quos in vinculis, et carcere detineo vinctos, aſtringi mererer, et mori, vt ſanguinis mei ſaltem effuſione, venia peccatorum meorum, et miſericordia dignus inuenirer. Suam nobis, inquit Sebaſtianus, dignatus eſt ad nos veniens IESVS Chriſtus, elargiri præſentiam, et docuit quo modo delicta, et crimina delinquentibus, et criminoſis hominibus auferantur, et cœlorum fælicitas, et pręmia condonentur. Muta dignitatem, et miles eſſe incipe Chriſti, potius quam Præfecti, et quos in carcere, vinculiſq; tenes,

nes, et cuſtodis, in unum collige, et dimitte. Si hoc tu Chriſto in tuæ conuerſionis initio præſtiteris, tibi parata erit, et condonata corona martyrij, totius gloriæ præmium, et plenitudo fœlicitatis, et gaudij. Cumque ex carcere properanter ille feſtinaret eos educere, ad Sebaſtiani pedes omnes inſtituit. Quorum ille animum ſubleuans omnium, et adhortans, et erigens, Egerat per ſeruos ſuos, inquit, et ſatellites humani generis hoſtis, vt animos veſtros ad virtutum culmen erectos euerteret, et in ipſo fælicitatis, et gloriæ faſtigio poſitos, in pœnas deiectos æternas, per cruciatus, et carceres, et tormenta proſterneret. Et conuerſus ad illos etiam, qui cuſtodiſſent eos, et à fide conati fuiſſent auertere, Non creator veſter, inquit, dæmon eſt, nec dominus, nec pater, Deus autem, et pater, et dominus, et creator. Quem ſi dereliquiſtis, et ad eum, qui tam crudeliter inimicus, et hoſtis eſt, et tam omnes ad interitum impellere conetur, et inſiſtat, adijſtis, quam ad illum magis, qui unicũ filium ſuũ paſſioni, et morti, ut a morte nos, et paſſionibus eriperet, obtulit, et tradidit, redire debetis? Et omnibus nedum baptizari, ſed pro Chriſto etiam tantæ prædicationis incẽdio mori cupientibus, ueniens ab ipſo Sebaſtiano uocatus presbyter Polycarpus, Beati omnes, inquit, qui Dei ſic uerbũ audiſtis, ut nõ baptizari tantum, ſed ad gloriam, a qua cæteros tam enixe reuocare nitebamini, currere per cruciatus, et ſupplicia deſideretis. Ars enim hæc Chriſti eſt, et uetus artificium, Nam, et quem uas eligere dignatus eſt electionis, et gentium lumen,

men, et doctorem, non omnes modo a pietatis ſtudio reuocare nitebatur, et contendebat; ſed a pietate nolentes etiam, et a Chriſto recedere, lapidibus obruebat. Hunc eligere dignatus eſt Angelum, et elargiri nobis ex Saulo Paulum, ex apoſtata et inſectatore, Apoſtolum, ex inſidiatore, gentium doctorem, et magiſtrum, ſuarum paſſionum, et dolorum factus amator ardentiſſimus, qui uſque adeo in alienis ardens, et anhælans auctor extitiſſet. Et cum baptizarentur cupidiſſime ſinguli, et ex eis Tranquillinus Marci, et Marcelliani pater, ita factus, cum ægerrimus eſſet, dum baptizaretur, incolumis, ut percurrens, cum antea ſe mouere non poſſet, et clamans ad Præfectum, unum eſſe Dominum IESVM, quem iſte mundus ignoraret, Et tormenta Præfectus iracundiæ plenus ad terrorem oſtenderet, Venit ille, inquit, cum prophetas miſiſſet ſuos, et ſeruos, qui nihil debuit, et tantum nihil debens attulit unus, et præſtitit, ut æternus ignis ab æterno fonte ſic uinceretur, et infidelitas a fidelitate uſque adeo proſtrata ſuperaretur, ut ſicut in medio canum aſſequi non ualerent morſibus canes, et latratu, quin eſſemus rationales, ſic inter terrores, cruciatus, flagella, et dolores, tormenta non poſſint, quin Chriſti uere ſimus, et uere fideles, Et pœnis cum ego pedum tantis affligerer et doloribus, ut ire non poſſem; et uſq; adeo rudis, et inſciens, loqui uix ut auderē, non prius credere cœpi quā ita didici loqui, ut uidetis, et cōualui. Cōmotus tū Præſes, cum eadem laboraret ægritudine, Dimidium

bonorum

bonorum meorum elargior, inquit, et condono, ut ab hac infirmitate pariter et ego curer et ualeam. Pecu niam qui offerunt oblatamue, dei ſeruus inquit, accipiunt, non ſibi medicamentum modo non afferunt, ſed morbi ſibi tantum etiam aſciſcunt et doloris, ut non ſubuenire ei modo medicus, ſed nec ullus inueniri finis ei poſſit, nec terminus. Ac tantum inter dolo res, quos nunc patitur corpus, et quos anima paſſura, quantum pictum inter ignem intereſt, et ardentem, ſi ſui ex hac uita creatoris ignara diſceſſerit. Nec pecuniam modo non offeras, ſed caue ſola tui ne corporis ualetudine fieri te chriſtianum putes, verũ cœleſtis gloriæ deſiderio, puram efficiens et ſanctam mentem tuã. Nam ſi ſeruum tu ad aquam miſeris hauriendam, extrahere non auderet eam ille prius, quam uas totum et lagenam lauans mundiſſimam cognouerit, fontem tradere tibi, qui poſſumus æternitatis, niſi te alienum totum et puriſſimum ab idolorum cultura, et aliorum omnium ſordibus effeceris? Vere, tum præſes inquit, ille Deus, tales qui ſeruos habere comprobatur. Et con fractis repente idolis, ipſoq; ſtatim, et domo eius tota, ad numerum mille quadringentorum, baptizatis, Diuidens eos ſanctiſſimus Dei Pontifex Gaius, aptiores ad martyriũ in Vrbe retinuit, reliquos in Campanum ba ptizati Pręfecti agrum, et cum eis Polycarpum, qui eos regeret, miſit. Cumq; Tiburtius ipſius. Pręfecti filius, cum eis etiam propter adoleſcentiam mitteretur, Ne di mittas ille me, quæſo pater, inquit, optime. Melius eſt

F enim

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

enim me millies excruciatum interfici; quam non beatiſſimam uitam illam, et dignitatem aſſequi, quam nullus mihi finis, nullus terminus, nullus ſucceſſor, nulla tempora ſurripiant. Et lachrymans tantus Dei Pontifex, et ut ad martyrii coronam cuncti uictores exiſterent, orans, illum etiam retinuit. Tranquillinum fortiſſimum uirum, presbyterum inſtituit. Sebaſtianum ob tantam animi, et uirtutis altitudinem et ardorem, Eccleſiæ defenſorem fecit. Ac tanta illius temporis, et uſque adeo crudelis, et infeſta in Chriſti fideles eſſe coniuratio cœpit, et calamitas, ut præter alia cruciatuum exempla, terrores, et ſupplicia, in plateis, in uiis, in pagis, in uicis, ac locis omnibus, quæ adorari ſimulachra oporteret, inſpicerentur, et igne, ferro, flammis excruciati, qui non adoraſſent, occiderentur. Tantus tamen fidelium conſenſus, tanta pro Chriſti nomine moriendi omnibus innata cupiditas, ardor, alacritas, et incendium, ut non uox eis modo, aut Eccleſię Dei maieſtate indigna ex eis vnq̃ oriretur, ſed quo multitudo maior, atrocioribusue cruciata flagellis occideretur, eo nõ maior modo numerus et amplior augeretur, ſed facta in dies etiam altiora, auctore tanto et hortatore Sebaſtiano audirentur. Zoe, cui uox per eum eſſet, ut diximus, reſtituta, ad ſimulachrũ compulſa Martis, non modo non adorat, ſed cum impudica ſtupra tanta inſectaretur eius et uerecundius exprobraret, fumo ſuſpenſa capillis, Deum laudans necata, et in Tyberim eiecta, ad Dei uirum Sebaſtianum nocte ueniens in

ſomnis

ſomnis, expoſuit, ſe martyrii gloriam, et fælicitatem fęliciſſime conſecutam. Quod beatiſſimo referens Gaio Sebaſtianus, et cæteris, ſeſe ardentiſſimi animi proiiciens Tranquillinus, Et nos ad coronam, præcedunt, exclamans inquit, mulieres? Quid uiuimus? Ac pauci s poſt diebus in eo, quo orare conſueuerat, loco, ad optatam martyrii fælicitatem, et coronam lapidum oppreſſione peruenit. Confixi lanceis Marcus, et Marcellianus filii, eandem patris coronam fæliciſſime ſunt ſecuti. Ad ripas alii martyrum noctu corpora colligentes, ad eandem martyrii gloriam coronantur. Caſtulus, cuius domi latitarent martyres, et quibus alimenta præberet, uiuus ſepultus, martyr martyribus adiungitur. Sebaſtianum ſingulos adhortantem, et Dei magis in dies eccleſiam, in tam plena doloris, et miſeriarum, anguſtia, et calamitate, continuato labore, adaugentem, ſiſti coram ſe uehementer inquiſitum iubens Diocletianus, Inter meos, inquit, ego te principem conſtitui, nec mea tantum, et meorum omnium uniuerſa, ſed memetipſum etiam, et uitam meam tuæ fidei commiſi et credidi.. Tu uero non contra meam modo, et meorum ſalutem omnium et uitam, ſed et Deorum etiam immortalium religionem, mihi ſemper hoſtis, et Diis immortalibus, domi meæ latuiſti. Pro tua, Dei ſeruus inquit, nec tua ſolum, et tuorum omnium, ſed pro uniuerſi orbis terrarũ gloria, et fælicitate Chriſtum IESVM Dominum, qui in cęlis eſt, oraui, et omni ueneratione colui ſemper, et adoraui, Sciens

neminem eum pro ſano habiturum , qui contempto creatore, et domino, a mutis auxilium ſignis peteret, et lapidibus. Iracundia tum præceps, et furore , cum Chriſti nomen audire,ut idololatra, non poſſet Diocle tianus, repente iubet arripi, et ad ſtipitem in campo, tamquam pro ſigno ad ſagittandum aſtringi, et totum undique configi ſagittis, et obrui. Qui arreptus a carnificibus, cum tot ſcorpionum ictibus hinc et inde traiectus, et ſagittis uſque eo plenus, et transfixus , ut non exanimatus tantum, ſed ita non aliter ac hericius, ut ne locus quidem uulneribus eſſe poſſe uideretur, defeſſi trucidatores, ad ſtipitem,et columnam,tamquam mortuum, cum reliquiſſent, nocte uenit lachrymans Erene Caſtuli martyris uxor,ut eum ſepeliret. Sed uiuum, Dei comitante gratia, reperiens, domum lætiſſima reduxit, Et ſingulis hortantibus, ut Roma celeriter, iracundiam tantam fugiens, diſcęderet, ad Imperatorem feſtinanter accurrit,et ſentiens non ſe patientię minus, et mortis exemplo, quam prædicatione, uigiliis, et labore, Dei Eccleſiæ profuturum, ſtans contra eum, Iniquis, inquit, ſubreptionibus obſidentes animos imperii ueſtri, idolorum cultores, iniqua de Chriſtianis commenta ueſtris auribus ſuggeſſerunt, eſſe eos mentientes reipublicæ ueſtræ, et imperio aduerſarios. Quod tantum abeſt ab eo , ut eorum glorioſis etiam precibus, et factis, reſpublica ueſtra, et imperium, creſcat in dies magis, et decoretur,cum pro imperii ueſtri, et omnium fœlicitate, et gloria, ſummis orare uigi

liis

liis non deſiſtant, et laboribus. Et cunctis, uelut Angelum eum, et ſic prædicantem intuentibus, et tamquam alienata mente, cum occiſum inter ſagittas, et ſupplicia uidiſſent, et mortuum, pauentibus, Tu ne, corruens Imperator inquit, ille es? Tu ne, inquam, ille, ſagittis quem iuſſimus interfici? Ad hoc noluit ut morerer, et ſeruare dignatus eſt, dei me ſeruus inquit, dominus meus IESVS Chriſtus, qui in cœlis eſt, omnipotens, ut uenirem et cunctis audientibus, et populo conteſtans, et plena conteſtatum uoce relinquerem, pleniſſima crudelitatis, et iniquiſſima iudicia ueſtra in Chriſti fideles, et ſeruos iniquiſſime deſæuire. Arripi tum crudeliſſime, non in campo, ut antea, ſagittis, ſed ut tam nefarii ſceleris teſtis eſſe poſſit, et crudelitatis, in ſui palatii hippodromo, ſuppliciis imperat, et flagellis, donec uita ſuperſit, excruciari. Qui raptus ab occiſoribus, cum tantis cruciatibus, et trucidantium multitudine, ut defeſſis integri ſuccederent, nec pro eis minus oraret, a quibus occideretur, quam glorioſis meritis coruſcans et miraculis, per angelos in cœlum fæliciſſime ſuſcipitur. Ac ne tam pretioſum poſſet amplius unquam etiam corpus inueniri, in quam altiſſimã inueniri cloacam poſſit, includitur: Sed ad Lucinam nocte ueniens optimam Chriſti ſeruam, eam, quæ paulo poſt eccleſiam ſancti Laurentii, ex eius nomine, in Lucina fecit, et dotauit, ei dixit, In cloaca, quæ eſt iuxta Circũ, inuenies corpus meũ. Si hoc tu accipiens, me ad Catatumbas in initio Cryptę, iuxta ueſtigia beatiſſimo

rum

rum Petri, et Pauli Apoſtolorum; ſepeli. Quę iuſſa faciens, et inueniens, ſicut iuſſit, eum ſepeliuit, et ab eo loco diebus triginta non diſceſſit, ubi celeberrima in eius honorem nunc ædificata ex ſeptem eſt Eccleſiis una. Et, præter quod ſanctiſsima ibi diu quieuerunt beatiſſimi Petri, et Pauli Apoſtolorum corpora, ante quam ad triumphalē delata eſſent uiam, celeberrimūq; ob tam glorioſa corpora Vaticanum. Eſt in eiuſdem introitu Eccleſię ad ſiniſtram, ſanctiſsimi ipſius Sebaſtiani corpus, clarioribus quotidie coruſcans miraculis. Eſt et columna, traiectus ubi fuit ſagittis. Sunt in albiſſimo lapide ſanctisſima pedum ueſtigia Saluatoris, et corpus beatiſsimi Stephani Papæ, et Martyris. et Damaſi ſanctiſsimi Pontificis, qui Sebaſtiani et Apoſtolorum ſepulchra uerſibus adornauit, et ſpiritu ſanctiſſimæ ſuæ fidei, in Vrbe Manichæos, et clam eorum deſtina concilia inuenit, Et literis, præter cetera, ſupra portā ad Cryptas inſcriptum etiā marmoreis. Hic eſt cœmeterium beati Caliſti patris inclyti. Quicunque illud contritus, et confeſſus, ingreſſus fuerit, plenam remiſſionem omnium peccatorum ſuorum obtinebit, per merita glorioſa centum ſeptuaginta quatuor millium ſanctorum Martyrum, quorum ibi corpora in pace ſepulta ſunt, una cum quadraginta ſex ſummis Pontificibus beatiſsimis, qui omnes ex magna tribulatione uenerunt, et ut hæredes in domo Domini fierent, mortis ſupplicium pro Chriſti nomine pertulerunt. Præſtante, ad tam glorioſi, et tanti martyris Sebaſtiani

ni gloriam et honorem, Domino noſtro I E S V
Chriſto, qui cum patre, et ſpiritu ſancto, ab
utroque procedente, uiuit et regnat
omnipotens ante omnia, et in
æterna ſæcula ſæculo-
rum. Amen.

EX DIVÆ CÆCILIÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS VITA.

DIVA Virgo Cæcilia Romanarum nobiliſſima,fide nobilior,pulchritudinis honore et ſanctitatis omnibus antecedens et clariſſima, cum ea parentum ui,et conatu, nobiliſſimo eſſet, et clariſſimo iuueni Valeriano deſponſa, ut neque quod nullius in ſe præter Chriſti amorem admitteret,declarare,nec ei cui ſeſe totam deuouiſſet,religioni inſeruire,nec ex eorum manibus, et imperio ſe, uel ſi cuncta conaretur, et faceret, eripere poſſe uideretur, ſacrum Dei ſemper in ſinu euangelium, in animo, in corde, in pectore, in ore gerebat, Cilicium aureis deſuper induta ueſtibus, non dimittebat. Lachrymis inuitabat Angelos, precibus Apoſtolos, ieiuniis Virgines, Chriſti agmina ſanctorum uniuerſa, ſuam ut Deo uirginitatem commendarent, deprecari non deſiſtebat. Et cunctis, ob nuptiarum et lętitiæ diem,tybijs cantantibus, et organis, in corde ipſa ſuo gemens, domino decantabat, et lachrymans. Fiat domine cor meum,et anima,et corpus immaculatum,vt non confundar, neue a te tuaq; pietate et miſericordia repellar,cum ſolus miſeriarum remedium,ſola ſis pietas et miſericordia.Et compulſa tandē ſic orans, et cum ſponſo perhorrens ingreſſa cubiculum, nec ſeſe tamen deſerens, cum ardore tanto iuue-

nem

nem, inflammatiſque ſic,et ad ſuperna uſque adeo rapientibus uerbis allocuta fuiſſet, ut non nuptiarum ille tantum,ſed ſui ſicmet ipſius etiam oblitus,ut non niſi in cœlo totus et ardens eſſe uideretur, altius etiam ſpei bonæ iam plena, inclinatum conſpiciens eum, repetens, Magnum, et ſacrum eſt, inquit, quod tibi neceſſe mihi ſit, chariſſime iuuenis aperire myſterium, tuam ſi modo fidem iuratus interponens, promiſeris, nulla te id ratione prolaturum, nulla uel quanta eſſe cunque poſſit neceſſitate uiolaturum. Cœleſti commotus ille numine, cum iuraſſet, ſeque in eo fidem ſeruaturum confirmaſſet. Angelum illa,inquit, habeo, qui ita me, corpusque meum cuſtodire contendit, et tuetur, ut ſi uel quid ſenſerit quod polluto me contingere deſiderio, uel amore contendas,aut nitaris,ſuam in te ſtatim iram, et furorem, (cum ſit Angelorum ſoror, et cognata uirginitas, et repleat cœlum) incutere nō dubitabit.Sed ſi te uero ſincere,et uero me diligere animo ſenſerit,et uirginitatis meæ puritatem cuſtodire, et illibatam eſſe uelle cognouerit,nō te aliter,atque me diliget, nec ſuam tibi minus, quam mihi gratiam elargietur, et tribuet. Pollicitus ſum, ille inquit,et ſeruare in eo, certum eſt, quod dixi fidem,ſi mihi tamen illum, et quod de cœlo Dei uere ſit Angelus, oſtenderis, ſin alium, quiſquis ille præter Angelum fuerit, inueniam, non aliter in eum, nec minus quam etiam in te,grauius animaduertam. Si meis,illa inquit,acquieſcere conſiliis,et perenni fonte purificari,et in cœlis unum

credere cum patre, et ſpiritu ſancto uerum eſſe Dominum noſtrum IESVM Chriſtum uolueris, non Angelum uidere tantum et alloqui, ſed ab eo cuncta, quemadmodum et ego, conſequi poteris. Et purificare quis ita me, ille inquit, talia ut uidere merear et tãta, poterit? In uia, quæ dicitur, ſubſequens illa inquit, Appia, inuenies non ab Vrbe procul petentes eleemoſynam pauperes. Studium de his mihi ſemper, et præcipua cura fuit. Ii tibi uirum, cum eo ueneris, et meo ab his nomine quæſiueris, oſtendent, qui uſque adeo purificare nouit homines, et cœleſtes efficere, ut non Angelum tantum uidere, ſed et uidere mereantur, et perfrui. Feſtinanter ille pergens, et quibus acceperat indiciis, Vrbanum ſanctiſſimum et tantum uirum illũ, intra Cryptas, et Martyrum ſepulchra latitantem inueniens, Cęciliæ mãdata detulit. Perfuſus lachrymis, et paſſis in cœlum manibus tam fidelis et tantus Dei Pontifex, et ſeruus, Domine IESV Chriſte caſti, inquit, ſeminator, et cœleſtis conſilii, ſuſcipe ſeminum fructus, quos in Cæcilia ſeminaſti. Domine pater æterne, en quam famula tua tibi tanquam apis operoſa deſeruiens, ſponſum, quem ut ferociſſimum Leonem acceperat, et Draconem, tanquam tibi Agnum obtulit manſuetiſſimum. Quo ſic orante, ecce de cœlo ſubito ſplendor, et fulgentiſſimus in eo, candidiſſimis ueſtibus ſenior, librum in manibus literis aureis mirabiliter ſcriptum tenens. Quo territus aſpectu Valerianus, in terram cecidit, non aliter ac ſi eſſet mortuus. Quem ſub-

leuans

leuans ipſe ſenior, et ſuſcipiens, Lege libri huius, inquit, textum, ut credens, purificari et fidelis eſſe merearis. Libri autem titulus erat. Vna fides, unum baptiſma, unus pater, qui ſuper omnia et in omnibus nobis. Quæ magno timore legenti Valeriano, Credis hæc ita ſenior, inquit, eſſe omnia? Non eſt quod ſub cœlo credi uerius, inquit, ille poſſit. Et ſenior in cœlũ ſe recipiens, eum cum Vrbano reliquit. Quem deoſculans Pontifex ipſe Dei ſanctiſſimus, et ſuſcipiens, in omnibus inſtituit, et baptizauit, Et baptizatum, et inſtitutum, et diu apud ſe retentum, ad Cæciliam militem Chriſti ardentiſſimum remiſit. Quam cum in cubiculo orantem inueniſſet, inuenit et iuxta flammeo Angelum aſpectu fulgentem, et duas in manibus coronas tenentem. Quarum alteram Cæciliæ, alteram ipſi trementi Valeriano, cum porrigeret, ſuoque ipſius ſplendore eos magis etiã inflammaſſet, Iſtas, inquit, coronas accipite, et immaculato animo, et caſto corde, et corpore cuſtodite, quas de Dei ad uos paradiſo attuli. Nunquam florem deperdunt, nunquam ſuauitatem minuunt, nec tangi poſſunt, nec uideri, niſi quibus ita placuerit, et cordi caſtitas fuerit, ſicuti fuiſſe comprobatum eſt, et complacuiſſe uobis. Et quia tu fælix Valeriane, aſſenſum Virginis precibus, et conſiliis præbuiſti, miſit me Chriſtus Dei filius, ut qualemcunque uolueris rem poſtules, et qualis quantauecunque fuerit, obtinebis. Cum nihil in iſta mihi uita dulcius, aut charius Valerianus, inquit, eſſe poſſit, quam unicus fra

ter meus, præter humanitatem, et impium nimis, et crudele uideretur, ſi me tam fæliciter liberato, in tantæ perditionis eum, et diſcriminis periculo relinquerem. Omnibus meis petitionibus, et deſideriis antepono, et deprecor, ut fratrem meum Tiburtium, ſicut me, illuminare dignetur, et faciat in ſui nos amoris, gloria, et honore perfectos. Quoniam hoc, inquit Angelus, o fælix Valeriane petiſti, ſicut ſuſcipere per famulam te ſuam, et illuminare dignatus eſt Chriſtus, ita illuminari, ſeruarique per te merebitur frater tuus, et illi ſicut et tibi delata iam, et condonata palma eſt, et corona martyrii. Tum harum inſciens rerum, ignarusque omnium ueniens ad Valeriani, et Cæciliæ cubiculum, ut nuptiarum eis, et connubii cauſa gratularetur Tiburtius, Vnde roſeus hic, inquit, odor, et liliorum tantus? Tanto enim ſum, ut ueni huc, odore perfuſus, et flagrantia, ut delitiis omnibus intereſſe mihi uidear, et gaudiis. Odorem quidem interpellante me, Valerianus inquit, meruiſti, re ipſa, et aſpectu, credens mereberis et perfrui. Coronas enim tantę pulchritudinis habemus et decoris, ut tui adhuc uidere non pręualeant oculi. In ſomniis ne forſan, an uera hęc, mi frater, audio? In inſomniis hucuſque, Valerianus inquit, uiximus, modo uiuere, et eſſe incipimus. Et audire ille cupidiſſimus, Exordiri Cæcilia, incipiens, cum diu prædicaſſet, et idola ipſa nil aliud, niſi dæmoniorum docuiſſet eſſe ſimulachra, ac tantæ prædicationis ardore illuminaſſet eum ſic, et inflammaſſet, ut nō niſi

in

in cœlo unum eſſe Chriſtum IESVM cum patre, et ſpiritu ſancto profiteretur, et crederet, deoſculata pectus eius, Hodie te fateor uere, inquit, eſſe fælicem, et ut Chriſti amor fratrem mihi tuum coniugem fecit, ſic idolorum contemptus, amore te reddidit, et cognatione germanum. Et baptizari ille cum arderet, Vade Valerianus, ad magnū uirum illum ſicut ego, inquit, et iui, in quo aſpectus angelicus, ſermo uerus, et ſapientia. Venerandum ne, ille inquit, et ſanctiſſimum uirum ipſum illum, quem ſuum Chriſtiani Papam uocant? Qui bis confeſſor, ideſt, ſecunda iam inquiſitione damnatus, et ſi repertus, et nos cum eo fuerimus, quin flagellis grauioribus, et pœnis excruciemur, effugere non poterimus? Si una hæc tantum, uirgo inquit, et non alia tanto fælicior eſſet, et glorioſior uita, hanc miſeram licet et caducam perdere iuſte timeremus, Cum tanto alia uero fælicior ſuccedat, et beatior, ut in hilaritate, in gaudio, in lætitia, ſine fine ſit ſemper, et exultatione, Quid tam hanc perdere miſeram trepidamus, cum per eius perditionem, tanto fæliciorem inuenire poſſimus? Nam ſicut hæc, quam in hoc ſæculo degimus, uita, ea uita eſt, quam humores humectant, extenuant dolores, exſiccāt ardores, eſcę inflant, ieiunia macerant, ſoluunt ioci, triſtitię conſumunt, ſecuritas hebetat, diuitiæ iactant, ſolicitudo coarctat, paupertas deiicit, iuuentus extollit, ſenectus incuruat, frangit infirmitas, dolor conſumit, tollit omnia mors, et deſtruit, Ita quæ huic ſuccedit uita, ut æterna eſt, aut æternis datur cruciatibus,

ciatibus et pœnis, infidelibus et impiis, aut gaudiis, et lætitiis in hilaritate ſemper, et exultatione fidelibus, et iuſtis. Cœli enim, et terræ, et maris, et hominum, et uolucrum, et pecudum creator ille unus, et æternus, et omnipotens conditor omnium Deus, antequam hęc ipſa faceret, genuit filium, protulit et ſpiritum ſanctum, Filium, ut crearet omnia, ſpiritum ſanctum, ut uiuificaret uniuerſa. Omnia autem, quæ facta ſunt, filius ex patre genitus condidit. Vniuerſa uero, quę ſunt condita, ſpiritus ſanctus animauit. Et cur Deum doces unum in cœlis, ille inquit, et tres eſſe tamen atteſtari uideris? Vnus quidem in gloria Deus, illa inquit, ac ita quidem unus, et æternus, et omnipotens, ut nil uerius eſſe poſſit, quam et unus, et æternus, et omnipotens, in maieſtate ſua, et trinitate ſanctiſsima, Deus. Cuius de cœlis ueniens, per Virginem ab eo ipſo patre miſſus, ad mortem uſque obediens, et ſalutem omnibus operans filius, ſupra montem ſanctum uoce magna clamare nō deſtitit, Venite ad me omnes, et uitam dabo uobis æternam. Cucurrit ad eū omne genus, omnis ętas, omnis conditio, omnibus Dei Regnū, et gloriam appropinquaſſe, pœnitentiam vt agerent, prædicauit. Et cum ſanctos et electos in ſinu Abrahę gloriari, malos autem, et impios in inferni doloribus, et pœnis clamans doceret excruciari, mortuos ſuſcitabat, quatriduanos ab inferiis vna voce reuocabat, ſiccis maria pedibus tranſmeabat, uentis imperabat, procellas, et turbines compeſcebat, cæcis uiſum, claudis greſſum,

greſſum, mutis loquelam, ſurdis auditum reſtituebat, à languoribus curabat, dæmones expugnabat. Capi ſe permiſit, illudi, verberari, crucifigi, per ſuam ſciens paſſionem et mortem, diabolo captiuitatem inferri, et æterna ſpiritibus immundis, et ſine fine ſupplicia irrogari. Teneri ſe paſſus, ut dimitteretur à quo peccato teneretur homo. Maledici, ut maledictos à maledictionibus eriperet. Illudi, vt à dæmonum illuſionibus vniuerſos auferret. Spinis coronari, capitalem vt ſententiam, quæ ex peccatorum ſentibus, et ſpinis infligi neceſſe nobis eſſet, totam aboleret, et infringeret. Fel ſuſcepit, primi vt hominis guſtum, et delicti pœnas, vnde regnare cœpit mors, in ſe ſuſcipiens commutaret. Aceto potatus, vt calicem paſſionis, qui noſtris debebatur paſſionibus et delictis, ebiberet. Expoliatus, ut noſtrorum parentum nuditas et pudor, candidiſſimi ueſtimentorum ſuorum uelaminis operimento tegeretur. In ligno ſuſpenſus, ut ligni præuaricationem ſuæ ſanctiſſimę ligno paſſionis auferens aboleret, et crudelem in ſe mortē et ſæuā paſſus inſęuire, ut contra ſe conantem, perpetuæ morti cū ſæuiſſimo ſerpente adijceret. Quem cum aſpicerent in cruce dolenter elementa, ex uno latere terra mouebatur, ex alio ſaxa et templa ſcindebantur, ſol aufugiens expauit, abſconduntur ſtellæ, pallidos ſuos luna vultus, et ſanguineos oſtendit. Rugiens excutit de ſepulchris terra mortuos, ut teſtimonio ſint quod deſcendens ad inferos, et reſurgens, diabolo regnum abſtulerit, et ſub pedibus ſamulorum ſuorum in

perpetuum

perpetuum redegerit. Et in cœlum aſcendens poteſtatem tribuit, ægritudines vt curarent, dæmones effugarent, uitam mortuis redderent. Et inde eſt, quod proſtrata cum ſæuiſſimo ſerpente iacens mors, uſque adeo cum eo ſemper inſidians, et fremens agat, et tam diuerſis, et tantis occupationibus, curis, et neceſſitatibus obliget, et irretire conetur, et inſiſtat hominum mentes, ut modo de lucro, modo de damno, de commodo, ſiue incommodo, de tantis, tamque diuerſis rerum blandimentis, et ſuaſionibus, et factis, de hac ſola compellere conetur inquam eos cogitare, ne tam fœlicem aliam et beatiſſimam exeuntes hinc, miſerrime decepti poſſint inuenire. Non humana mihi uiſa uox Tiburtius, ſed Dei teſtificari Angelus, et loqui. Si de tam caduca inquit, amplius, et miſerima uita cogitauero, ne in illa tam fęlici, precor, inueniar et beata. Habeant, qui ſibi velint, tam labentis, et infęliciſſimę uitæ lucra, honores et gaudia, Ego, qui uſque hodie ſine cauſa uixi, non ſit mihi iam ſine cauſa uiuere. Et baptizari feſtinans, a fratre ducitur ad Vrbanum, qui cum ſeptem apud ſe dies eum retinuiſſet, fideliſſimum Chriſti ſeruum ad Cæciliam et fratrem remiſit. Qui cum tantum eſſet et ipſe cum eis a Deo gratię conſecutus, Angelos ut uideret, et innumera per ipſum etiam miracula Chriſtus operaretur, et faceret, uocari iubens eos ad ſe Pręſes, Cum uos generis, inquit titulus, nobiliſſimos fecerit, et clariſſimos, miror, cur, neſcio quibus ſuperſtitionibus, uos infęlices,

et

et degeneres exhibeatis? Nam res, et facultates ueſtras audio, in neſcio quas uiles perſonas conſumere, et pro ſceleribus eorum punitas, ſummo cum honore, et gloria ſepelire. Vtinam dignetur Tyburtius nos Dominus iis, inquit, noſter IESVS Chriſtus exhibere ſeruos, quorum tu nos aſſeris et exiſtimas eſſe collegas, qui quod eſſe uidetur et non eſt, contempſerunt, et quod non uidetur et eſt, inuenerunt. Quid eſt, inquit Præſes, quod eſſe non uidetur, et eſt? Gloria, inquit Tiburtius, quæ iuſtis, et pœna quæ debetur et irrogatur impiis. Et cur ego, ille inquit, iſta non uideo? Quoniam animalis homo non percipit, ille inquit, quæ ſint Dei, ſpiritualis autem omnia diiudicat, et a nemine poteſt ipſe iudicari. A ſe tum repelli eum, et uocari Valerianum iubens, Non eſt, inquit, ſani capitis frater tuus. Cui Valerianus. Iocantes, et ridentes, et uariis, inquit, delitiis affluentes, uidi glaciali, et duriſſimo tempore anni tranſire per campos, in quibus et ruſtici ſumma eſſent operis feſtinatione laborantes, alii ſeminantes, alii taleas inſerentes, ſurculos alii roſarum componentes, alii noxia cuncta radicitus euellentes, pro ſe quiſque faciebat, quo in ſpem reliqui temporis uniuerſa compoſita redderentur. Irridere qui tranſibant, increpitare, infælices et miſeros, quod tantum ſine cauſa laborem ſumerent, uocare, cur non lætarentur ſecum potius, et delitiis affluerent exprobantes, inuitare. Hic malibus tranſactis autem menſibus, et imbriferis, ſerena tempora, cum fructuum decore, et hilaritate ſuc-

ceſſiſſent. Lætari gratulanter, et affluere diuitijs, et gaudere, qui laborauerunt, mœſtos et flere irriſores, et infæliciter egere cœperunt. Stultos nos incuſatis et inſipientes, quod noſtras facultates indigentibus tribuimus, pauperibus ſubuenimus, inhumata fidelium corpora ſepelimus, et pro Chriſti gloria tormenta patientes, et flagella moriamur. Ecce iam adeſt, ut cum lętitia colligamus, uos æterne lugeatis. Et cum ob eam utrique comprehenſi cauſam, diu crudeliſſime cruciarentur, ſed Deum uel ſic excruciati magis etiam glorificarent, ad Almachium Tarquinius, Blandimenta irrita, tormenta non proficere uides, tolle eos et occide, nam ſi diutius protraxeris, cum omnia pauperibus erogent et egenis, eorum ad te prouenire nihil poterit. Miſerabilem iuſſi tum ſubire ſententiam, Maximus qui eos ad occidendum traheret, et mirabiliter eis ob eorum egregiam indolem et innocentiam fauens, ut iuſſis Imperatorum acquieſcerent, hortaretur eos, et oraret, ne perirent, Niſi compertum uterque nobis, inquit, et comprobatum, longe fæliciorem alteram, et beatiorem eſſe uitam, non adeo læti hanc, licet miſeram, feſtinanter amittere niteremur. Et quę nam, Maximus inquit, altera? num et alia poteſt eſſe uita? Sicut ueſtitur Valerianus inquit, ueſtimentis corpus, ita ueſtitur anima corpore, et ut expoliatur ueſtibus corpus, ita anima corpore, et corpus quod terrenum eſt, donec ſicut phœnix reſurgat, reſtituit terrę, et anima ſi pura fuerit et ſancta, paradiſi, et Angelorum gaudiis fruitur,

et triumphis, cumulatiorem gratiam expectans, corporis reſurrectionem. Fulmineis de cœlo conſumar, ille inquit, ignibus, ſi non illum ex hac hora uerum Deum, et Dominum, qui uitę tantę largitor eſt, illum mihi modo oſtendatis, confiteor, et adoro. Continuoq; percurrens ad Pręſidē, cum illius diei pro eis inducias impetraſſet, ut doceretur ab eis, eos apud ſe domi retinuit. Quorum prædicatione, cum non ſolum ipſe, ſed et omnes qui cum eo eſſent, Chriſtum IESVM profiterentur, et crederent, tranſactisq; albente iam cœlo induciis, martyrii dies adeſſet, Eia famuli, Cęcilia ueniens inquit, et uere ſerui Dei, bonum certamen certaſtis, fidem ſeruaſtis, ad gloriam, ad perennes paradiſi et angelorū contendite choros, et coronā, quam dabit uobis Dominus IESVS Chriſtus, nec uobis tantū, ſed et omnibus, qui ſicut et uos diligunt eū. Qui cum ad martyrium ducti occiderentur, lachrymans iurat Maximus amborum ſe de corporibus uidere animas, tanquam uirgines de thalamo procedentes, et ſicut ſol fulgentes, et in cœlum eas angelos et gloriam ſuſcipientes. Et conuerſis, ad eius qui adeſſent prędicationem, uniuerſis, et in fide perſiſtētibus excruciatis et occiſis, Maximus, qui eorum conuerſionis auctor extitiſſet, crudeliſſime etiam apprehenditur, et capitis obtruncatione martyr martyribus adiungitur. Quorum cum repēte facultates cœpiſſet Almachius inquirere, et Cæcilia pauperibus erogaſſet et egenis, et ob id quā occidi celerrime iuſſa, ei ſubuenire cuperent etiam oc-

ciſores. Mihi ualde glorioſum, illa inquit, nec concupiui aliud unquam magis, quam uniuerſa pro Chriſti nominis gloria et honore ſupplicia pati. Sed de veſtra doleo calamitate iuuenes, quod eo incaute veniſtis, vt ſit uobis inuitis neceſſe facere quod mandatum ſit ab iniquis. Ac tanto magis illi, ne tantæ pulchritudinis et ſapientię iuuenis interiret inſiſterent. Non hoc iuuentutem, illa inquit, eſt amittere, ſed in melius commutare, dare turpe cœnum, pulchrum accipere aurum, domũ dare anguſtam, accipere ampliſſimam, lapidem uilem, ſuſcipere glorioſum, rem perituram, inuenire æternã. Si quadrantem quis a uobis inquireret, theſauros ut pro illo pretioſos, et infinitos redderet, nonne ad tale quiſque lucrum feſtinanter curreret, et omnes, qui ab eo reuocare niterentur, irrideret? Quantò ad eum magis, qui non pondus ad pondus, ſed ſine pondere tribuit, et menſura, et uitam inſuper ęternam, feſtinare debemus? Qua cum ſic prędicatione inflammati ab Almachio, ne tã cito periret, impetraſſent, amplius reducta domum quadringentos ſua prędicatione fideles baptizauit Vrbanus, et pręter cæteros Gordianus uir clariſſimus. Is, ne Cæcilię domum inuaderent profani, uel Fiſcus, eam ſuſcepit ut ſuam, et ex eo die dedicari ſic eccleſia cœpit, ut Vrbanus, occulte tamen, ibi degens, infinita quotidie redemptionis lucra fierent, et myſteria. Quod non ferens immaniſſimus Almachius, confeſtim eam ſiſti coram ſe iubens, Quæ et qualis cuiuſue ſit conditionis requirit, et honoris. Cum ſe,

quod

quod negari non poſſet, nobiliſſimis ortã parentibus, et clariſſimis oſtendiſſet, Te de religione,ille inquit,interrogo.Cũ duas illa nõ poſſe reſponſiones una oſtendiſſet inquiſitione cõcludi,Vnde ille tibi temeritas, inquit,et audacia tanta? Ex conſcientia, illa inquit, et fide non ficta. An ignoras cuius ſim,ille inquit, poteſtatis? Quid aliud poteſtas,inquit, hominis, niſi uter uento repletus,quẽ ſi minima pupugeris acu, omne quod intus eſt,euaneſcit? Ab iniuriis,ille inquit, cœpiſti, in iniuriis inſiſtis. Non poteſt, illa inquit, iniuria dici,niſi quod dolo irrogatur, et inique. An neſcis,quod inuictiſſimi Principis ille iuſſerunt,inquit,ut quicumque nõ negauerint Chriſtũ,excrucientur? Vt Principes ueſtri pleni ſunt, illa inquit, iniquitatis, ita et quam ſententiam prolatam ab eis eſſe dicitis, uos crudeles, et nos declarat innocentes. Quid enim tam crudele,tamque pietati et innocentię magis aduerſum,quam quod homicidis, et reis omnibus, pro criminis qualitate, et ſceleris, locum, tempus, teſtes, conſcios adhibentes, in nos tantum, quos innocentes ſcitis, non crimen, cum crimen eſſe non poſsit,ſed nomen tantummodo criminis inquiratis? Vtrumuis, ille inquit, elige, aut Chriſtum nega, aut Deos adora. Cur, o ſine mente,conaris, ut negem me eſſe innocentem? Si me cupis damnare, cur me uis negare? Sin abſoluere,cur non uis inquirere? Si te chriſtianã,ille inquit,negaueris,finis erit crimini. Si non,tuæ irrogabitur dementiæ,et fatuitati. Noli dementiæ me,illa inquit, incuſare uel fatuitatis,

tis, ſed argue te ipſum, et increpa, qui me Chriſtum IESVM negare poſſe putes, Quid ſuperbe, ille inquit, loqueris? Neſcis mihi mortis eſſe datam, et uitæ poteſtatem? Aliud eſt eſſe, illa inquit, ſuperbum, aliud eſſe conſtantem, conſtanter locuta ſum, non ſuperbe dixi. Te ſapientiam autem profitentem, miror aliena locutum, mortis enim habere te dicis, et uitæ poteſtatem, cum ſolius uindicem mortis eſſe comproberis. Nam cum mortem inferre uiuis, mortuis uitam non ualeas, nec poſſis, non auctorem te uitæ dic, ſed miniſtrum eſſe mortis. Quos Deos autem appelles neſcio, nam et ego, et cuncti, qui ſanos oculos habemus, et mentem, ſaxa uidemus, æs, et ligna. Dedecus enim eſt, te ut omnes habeant irriſui, omnes enim ſciunt in cœlis eſſe Deum, et profanas imagines iſtas in ignem et calcem quotidie conuerti, nec aliis ſubuenire poſſe, nec ſibi. Furore tum percitus ille, ne quid prius fiat interdicit, quam flagellis, et cruciatibus omnibus, et tormentis excruciata concremetur. Tum arrepta ſtatim et afflicta, in flammarum ſui balnei medio, occiſoribus incendia miniſtrantibus ſuſpenſa, et incluſa, die tota, et nocte integra, tanquam in algido, et amœno, ut tres in fornace pueri, loco, Deum collaudat, benedicit, ueneratur, et prædicat. Quod non ferens ſeipſo crudelior Almachius, tam præſcindi gladio repente iubet, ut ne ex eo quidem, ubi excruciaretur loco, diſcedi patiatur. Cuius ſanctiſſimum caput, cum a ſanctiſſimo corpore, ne tribus quidem poſſet ictibus abſcindi,

tre-

trepidans carnifex, et cruentiſſimus aufugiens, ſemi mortuam reliquit. Vulnera miraculo tãto alii abſterge bant, ſanguinem alii, ne quid deperiret, colligebant, quibus lachrymantes rebus poſſent, ſubueniebant. Triduo ipſa uero ſic ſaucia uiuens, nec a dei laudibus et prædicatione deſiſtens, de Dei regno ſemper et gloria diſſeruit. Quos in fide aluerat docuit, ſua cuncta diſtribuit. Sãctiſſimo lachrymans Vrbano com mendauit, ac præter cætera ſacroſancta diuini eloquij myſteria dixit. Triduanas à Domino popoſci inducias, ut beatitudini hæc ueſtræ commendarem, et domum meam moriens eccleſiam in æternum conſecrarem. Et ſuſcepta inter loquendum ab Angelis, in cœlum fæliciſſima conuolauit. Cuius ſanctiſſimum corpus lachrymans Pontifex Dei ſanctiſſimus, cum honore ſepeliuit, et domum eius, vt deprecata fuerat, eccleſiam conſecrauit. Et præter quod tantæ virginis exemplo multæ in pręſentem vſque diem, et ſua ibi ſponte, et a parentibus poſitę Romanæ, et aliæ in Dei perſiſtunt laudibus ſacro uelamine conſecratæ virgines, ſub ſingulis etiã altaribus, reliquię multę ſanctorum. Sub altare maiori eſt corpus ipſius Cæcilię virginis. Eſt locus, et balneum ſui martyrij, et paſſionis. Eſt corpus Valeriani, Tyburtij, Maximi, et Vrbani, qui eccleſiam conſecrauit, Nicolai Papæ et martyris. Sunt præter cætera et martyrum corpora nongentorũ ex cœmeterio Prætextati, a beato Paſchale Papa ad Dei, et tantę Virginis honorem delata, et iuxta eam in

pace

pace recōdita. Singulis autem diebus, ſingulis eandem ecclesiam pie adeuntibus, prȩter peccatorum remiſſiones, infinitȩ condonantur Indulgentiȩ. Prȩſtante ad tantæ Virginis gloriam, et honorem, Domino noſtro IESV Chriſto, qui cum patre, et ſpiritu ſancto, ab utroque procedente uiuit, et regnat omnipotens, ante omnia, et in æterna ſȩcula ſȩculorum. Amen.

EX DIVÆ AGATHÆ VIRGINIS ET MARTYRIS VITA.

MAGNI Agatha, et excelſi animi, ſanctitatis, religionis, et fidei, nefaria Decii crudelitatis in Chriſti fideles, et ſeruos imperia, ſtrages, cruciatus, inſidias, et tormenta cum audiret, et mortes, ut tantæ et uſque adeo deplorandę calamitatis, et miſeriarum dies commiſereſcere non deſiſteret et noctes lachrymans, ita patria, genere, diuitiis, uel ipſa etiam abiecta, et contemptamet uita, ad omne quod martyrii, quod cruciatus, quod pœnarum, et exterminii, ſe ſe armare cum eis, et inflammare incipiens, quanto ſanctitatis, et pulchritudinis gloria et honore uniuerſos antecederet, tanto cœleſtium incendio, et cognitionis altitudine et ardore ſuperabat. In eam incendi cœpit ſic, et exardeſcere, qui Catanę tum degeret, Siciliæ Pręſes, et Cõſularis Quintianus, ut rebus aliis omnibus, deſideriis, et concupiſcentiis ſuis anteuertendum exiſtimaret, ut quibus ad eam cumque pertingere modis, rationibusue poſſet, totus et mẽte et animo enixe niteretur, et cõtenderet. Incitabat enim cæcitas eum et furor ob concupiſcentiam, auaritia ob diuitias, cũ urgere nimis ingens et infeſta inflammare nõ deſiſteret ob gloriam ambitio, ut tanto ſeſe pręferre omnibus et tanti eſſe uideretur, quod ſibi tales etiam poſſet,

et tãtæ altitudinis et gloriȩ ſubiugare perſonas,ſed cau ſam nullam cum haberet, nec ob tanti generis et fami liæ dignitatem ulla id effici ratione poſſet, quantoque ſpes minus,tanto cupidius ardor inflammaretur et urgeret.Cum Chriſti fidem ſequi eam per indicia comperiſſet,gauiſus, fidei nomen et religionis,miſſis qui eã etiam apprehenderent, oppoſuit. In cœlum oculos et manus illa, paululum ab eis auerſa tollens,Tu mei,Domine,ſcis unus, inquit, cordis, tu intellectus, mentis, et animi ſtudium, alacritatem,deſiderium, et fidem. Oro te, precor, et imploro,ne ſe tam glorietur iniquus in me, nec dicat,ubi eſt Deus eius? Tanquam ſacrificium meas accipere,quamuis indignas,dignare Domine, preces, lachrymas, et oblationes. Quæ ſic orans, nec niſi cœlorũ fȩlicitatem,et gloriã cogitans, ad ſupplicia et martyrii ſui coronã lȩtiſſima cũ iret,ſic in cœlum fixa ſemper etiam orabat inter ſatellites ex itinere. Per gratiam tuam,Domine IESV, dicens,et miſericordiam, decertaui ſemper, ut tibi corporis,et animi mei puritatem conſeruarem. Malum,et mali auctorem, tantas in hominum genere ſeminare diſcordias, uoluptates, et delicta conantem, uici, proſtraui, adiutore te, ſemper et conculcaui. Et in eundem antiquiſſimum etiam hoſtem inuehens, et dæmonem, An non ueritatis inimice uides, quam exultent hinc, et læti iubilent iuſti omnes,et glorientur in cœlis uniuerſi Angeli Dei? Non ne horum ſpectatorem omnium conſideras, et ſentis Dominum meum IESVM, Non te,non fraudes

dolos

doloſue tuos, non tam ſæua conantes aereas legiònes tuas expaueſco. Et tota ſic in cœlum ante tribunal, et Præſidem conſtituta, tanquam leo qui ad nullius timet occurſum, non minus Præſidem, quam minas, blandimentaq; deſpiciens et terrores, non ſolum Deum glorificabat, ſed ad eum etiam glorificandum uniuerſos inflammabat. Cuius et mentis tantam, et corporis, et animi conſtantiam, robur, et fortitudinem conſiderans, alia iam expertus uniuerſa Præſes, infami cuidam tradi iubet Aphrodiſię, quæ ſui ſimiles quinq; filias habebat meretrices, quibus modis omnibus imperat et præmiis, ut mentem eius, et animum a Chriſti fide reuocent, et ut ſimulachra ueneretur, et adoret. Cum fallacibus autem per dies amplius triginta rationibus et inſidiis, modo blandiendo, modo pollicendo, modo tormenta, modo quæcunque inueniri poſſent oblectamenta ante oculos inferendo, tantæ pietatis ardorem, fidem, cor, animum, et mentem fruſtra conarētur euertere, Notum uobis illa ſit, inquit, et ueſtrarum unaquaque uehementer inducat animum, ita omnem meam mentem, curam, ſtudium, et cogitationem, conſtantem, ſtabilem, et firmam, ut uel cuncta experiri conamini, a Chriſti nunquam tamen gloria poſſit, et honore ſeparari. Veſtra uerba tempeſtatibus, et uentis ſimilia, ſermones, minæ, terrores, et blandimenta irrita: In eam enim eniti licet, et erumpere conemini, conatus quoſq; ſuſtinebit, et impetus. Fundata enim ſupra firmam petrā non modo dimouere, ſed ne labefactare

quidem poteritis eam. Et dies pectus irrigans et noctes undatione lachrymarum, non aliter ac deſiderat ceruus, et currit ad fontes aquarum, in prælium et certamen, pro Chriſti fide ardet, et honore contendere, et uniuerſorum perferre cruciatuum labores, et torméta dolorum. Quæ omnia cum filiis ſuis turpiſſimis uidés, et conſiderans Aphrodiſia, Facilius lapides, inquit ad Prȩſidem, molliri, et ferrum in tenerrimum molliſſimumque conuerti plumbum, quam mentem huius a Chriſti poſſit religione, et amore deduci. Minas, blandimenta, margaritas, argentum, aurum, ueſtem, ſuburbia, domos, mancipia, mundum, et in eo quæ poſſint uniuerſa reperiri, non pluris facit; quam ea quæ terit pedibus, nec a Chriſti fide poteſt et ſeruitute diuerti. Iracundiæ ille plenus, et doloris, eam ſiſti coram ſe iubens, de conditione eius, et uita requirit. Cum uere ſe Chriſti ſeruam, nec ex nobiliſſimo genere tantum profiteretur et ampliſſimo, ſed cognati ſibi diuitiis et honore, quod negari non poſſet, inſignes et clariſſimi. Si clara igitur et nobilis, ſeruam te cur præbes, ille inquit, et ancillæ perſonam imitaris? Cum Chriſti ancilla ſim, cur non ſeruam me totam, illa inquit, et ſeruilem profitear et oſtendam habere perſonam? Si libera, et genere, ut aſſeris, ille inquit, libero, quomodo ſerua? Noſtrum illa genus, noſtra libertas, et uera cognatio, nil aliud eſt, inquit, niſi ut Chriſti ſeruitus in nobis annuntietur et ueritas. An nō liberi nos ergo, ille inquit, et libertatem tenemus, qui nō Chriſti modo tui

nomen

nomen contemnimus,ſed inſectamur etiam,et eſſe nolumus? Ad ſeruitutẽ tantam,illa inquit, miſeriam,et calamitatem deueniſtis, ut non peccati tantum ſerui, ſed ſimulacrorũ cultores etiam abominandorum, et Deo qui conuenit, et debetur honorem,lignis,et lapidibus attribuentes, efficiamini. Quantæ de te ſumi pœnæ ille debeant, inquit,non uides,ſed antequam eo uenias, cur dic ſic loqueris,et deos blaſphemas? Ne Deos illa dicere audeas, inquit, ſed illuſores,criminum inuentores,deceptores, et dæmones. Dæmones, ille ne inquit, quos inuictiſſimi colunt et adorant Imperatores, et uera diuinitas oſtendit eſſe Deos? Si Deos, illa ut ais, inquit,et diuinitas in eis,cur non tua ſit uxor ut Venus, tu ut Iuppiter implores, et ores? Contumeliis ſic me,ille inquit, et iniuriis afficis? Virum te miror, illa inquit, prudentem, ad tui obliuionem tantam, et ſtultitiam deueniſſe, ut illos aſſeras et profitearis eſſe Deos,et uenereris, quorum nec tuam, nec uxoris tuæ cupias, aut uelis, ſed iniuriam putes et contumeliam, ſimilem eſſe uitam. Dic tam igitur eos execrabiles, et maledictos, ut ſi quis,cui uehementius maledictum uelit et exoptet, talem dicat eum, et improbet,qualis eorum uita fuit. Si non ſacrificaueris eis,ille inquit,et adoraueris, cuncta hæc (et tormenta proferens, et oſtentans) cum tui generis ignominia, quin ſubeas effugere non poteris. Si mihi illa feras,inquit, immittere inſiſtas, uel etiã incitare coneris immitiſſimas,audito Chriſti nomine manſueſcent. Si ignem, ſi flammas, ſi quantacun-

que uis incendia, rorem mihi de cœlo ſalutarem miniſtrabunt Angeli. Si ferrum, ſi flagella, ſi tormenta, ſi quoſcunque uis etiam cruciatus et terrores, per eum, qui in me ſpiritum nec deſerit, uniuerſa deſpiciam. Cō ſidera, ille tum caput agitans inquit, ſi cum ignem, ferrum, et tormēta oſtenderet, tantos ſuperare cruciatus, et exempla poſſis. Precare tu illa miſer, inquit, et deplora, interitum effugere qui poteris, et quæ tibi tanta im pendeant, et æterna ſupplicia. Alapis tum cæſa, et in equuleo ſuſpēſa, et flagellis excruciata diu, et in carcerē tradi crudeliſſime iuſſa, tanquam ex epulis ad epulas et cōuiuia, ex deliciis ad delicias exultans, et læta cū iret, ſuum Deo certamen, et martyrium lachrymis et precibus commendabat. Ad tribunal ſibi poſtridie ſiſti cū Pręſes eam è carcere iuberet, de ſalute quid ſua cogitaſſet et uita interrogat. Salus, et uita mea, illa inquit, et gloria Chriſtus. Quouſque inſana ille protraheris negare Chriſtum, inquit, et munera Dijs offerre, ne vita priueris? Ligna tu illa miſer, inquit, et lapides nega, et Deum, qui te creauit, et fecit, ne in æterna ſupplicia ruas, venerare miſer et adora. In equuleo ſuſpenſa, et ungulis iterum diu crudeliſſime laniata, tanquam inter angelos, et paradiſi delicias, Tormēta mihi tua gaudium, et theſaurus, exclamans inquit, indeficiens. Exulto, lætor, et triumpho, nec ſecus quam qui audit et videt quem exoptat, cupit, vult, deſiderat, qui theſauros reperit incomparabiles. Sicut enim triticum non poteſt in horreum ex area poni, niſi conculcata prius palea,

fortius eius, et contrita, nec fructus ex ſe ferre, niſi depreſſum in terra funditus, et mortuum, ita nec in Dei mei gloriam mea introire anima, niſi corpus à te meũ diſſipatum penitus, et contritum totum fuerit, et conſumptum. In mammilla tum torqueri, et contortã diu, et laniatam à ſanctiſſimo pectore, et toto lacerato corpore non ſcindi, ſed ut magis excruciata interiret, diſcerpi cum crudeliſſime iuberetur, non læta minus, et glorians inter ſupplicia, et dolores, quam plena tota ſpiritus et fidei, Crudelis, exclamans inquit, et dire tyranne, non times, non perhorreſcis, non confuſus te ipſum miſerrime fugis, in me extorquere, quod infelix in matre ſuxiſti? Mammillam enim in corde, in mente, in anima, quam à prima ætate Deo meo uiuo, et uero deuoui, habeo aliam illæſam, viuam, perpetuam, integram, extorquere non poteris eam. Et laniata ſic, et toto lacerato ſine mammilla corpore, in carcerem iuſſa trahi, nec medicum accedere, nec panẽ ei, nec aquam ſic intruſæ dari. Venerandus ecce media nocte ſenex, medicamenta non modica ferens, quem puer antecedens accenſam lampadem ferret. Animaduerti, ille inquit, et didici, quod curari mammilla tua poſſit, et in integrum reſtitui. Veni tui miſertus, et compatiens, ut te, cum illa ſaluam, et incolumem reſtituã. Quomodo cum ſimplex ſim puella, tu tam illa venerandus, inquit, et ſapiens, et admirabilis, diſſipata ſic, et laniata vulnera tibi mea, et corpus aperiam? Quantas tibi poſſum gratias ago venerande pater, et infinitas, quod ad me

ſic

ſic ſis venire dignatus. Medicinam corpori meo carnalem nunquam exhibui, habeo enim qui ſolo nutu facit, ſeruat, et reſtituit vniuerſa, Dominũ meum IESVM Chriſtum, curare ille me, ſeruare, cuſtodire poterit, et liberare, venerande pater. Subridens gratulando tum ſenex, et ipſe me, inquit, ad te (ſum enim eius Apoſtolus) miſit, nil in me dubites filia. Seq; in cœlum, ſubleuans, et conſolans eam, recipiens, tota illæſa mammilla, toto illæſo et corpore, pulchrior apparuit. Gratias, in cœlum oculos illa tollens et manus, ago tibi Domine IESV, qui non ancillæ tuæ oblitus, Apoſtolum tuum curare uulnera mea mittere, mammillam meam meo pectori, et me mihimetipſi totam reſtituere, et uſque adeo laniatam ſuſcipere mirabiliter, et liberare uoluiſti. Et lux in carcere nocte tota tanta cum fulgeret, ut non exterriti modo aufugerent cuſtodes, ſed preca rentur eam, ut ſibi, ſuæque uitę conſulens, properanrer aufugeret. Ego ne, illa inquit, fugiam? Meorum ego ne certaminum corona priuer, a meque ipſa deficiam? Cum Dominum meum IESVM habeam, qui me ſic iuuit, protexit, opem tulit, ad uitã uſque adeo mirabiliter reuocauit. Cũ ſiſti uero eam ille ſibi coram iterum de carcere iuſſiſſet, Quouſque mandatis aduer ſari pergis Imperatorum, inquit, et edictis? Aut Diis ſacrifica, aut ſuppliciis grauioribus adiiciã. Quis enim illa tãſine mẽte miſer, inquit, ligna inuocare ut audeat, et lapides, et æra? Non ne meam meo pectori mammillã, non ne mihimet ipſi totã a Chriſto Domino meo IESV,

cum

cum ſic excruciata eſſem, reſtitutã, et ſine vulnere vides? Huic ore, corde, animo, labijs, ſacrificare, nominare, laudare, in cœlũ uſq; glorificare nõ deſiſtam nec ceſſabo. Laminas extendi clauis ille ſtatim ferreis, et carbones ſub eas ardentiſſimos, et eam deſuper extendi, nudo iubet corpore, donec uita ſuperſit, excruciari. Quæ cum diu tormentis torqueretur omnibus et ſuppliciis, et ad eam, ſi tandem poſſet, extinguendam, crudeliora pararentur, et in eius enixe mortem crudelius inueheretur, Motus ecce terrę magnus ita factus, ut duo corruentes parietes, complures iniquitatis ſatellites et miniſtros, inter quos Syluium, et Falconiũ Præſidis amicos, et familiares, interficerent. Ac tota eodem concuſſa motu ciuitate, Pręſidem uniuerſi, cum hæc Virginis cauſa fieri cognoſcerent, inſequi niterentur, ut occiderent, motu commotus ille terræ, et ciuitatis, clam Virginem, tremens, in carcerem trahi ſic lacerato corpore iubet. Quæ non ingreſſa prius et incluſa, quam paſſis, uel ſic excruciata manibus in cœlum, Oro te, gratias inquit agens, et imploro Domine IESV, ut ſicut ancillæ mihi tuę, ablato mundi huius et uitæ deſiderio, a prima ætate ſanctiſſimo nomini tuo fortiſſime decertarẽ, uoluiſti, me, corpusq; meũ ſemper a pollutione cuſtodiſti, minas, terrores, flagella, cruciatus, incendia, ferrũ, et tormẽta ſuperare tribuiſti, ita exaudire dignare me Domine, precor, ut mundum hunc, et in eo quę ſint uniuerſa relinquens, ad optatiſſimam, fæliciſſimamq;, et æternam gloriam tuam perueniam. Et per Angelos

inter ſic loquendum et orandum ſuſcepta, cum Domino gloriatur in cœlis, et uiuit in ſæcula. Cuius ſanctiſſimum corpus, cum ingentiſſimo uniuerſi populi fletu, miraculis, concurſu, et gloria ſepeliretur et honore, fulgentiſſimus quidam nunquam antea uiſus iuuenis, et ignotus, plusquam ſecum centum habens precioſiſſimis ueſtibus pueros, tabulam, quam ferret manibus marmoream, ad Virginis caput impoſuit, ita ſcribens. Mentem ſanctam, ſpontaneam, honorem Deo, et patriæ liberationem. Hoc eſt, Mentem ſanctam habuit, ſpontaneam obtulit, honorem Deo exhibuit, patriç liberationem fecit. Nec, ita cum ſcripſiſſet, deinceps apparuit. Cum anno uero poſt, eodem illo ipſo, quo ab Angelis in cœlum ſuſcepta, et hæc ille, quem Dei extitiſſe Angelum non dubitāt, ſcripſerit die, Nonis ſcilicet februarii, Aetnç creberrimis notiſſimus flammarum incendiis et eruptionibus, Siciliç mons, non aliter, ac totum, non auditum unquam antea, nec uiſum diruens ex alto, præcipitansq; flumen, uapores mittens, ignē, rugitus, lapides, flammas prærupti maris etiam inſtar tantas, incendiis, et furore tanto, ſeſe profuuderet, ut uno fere tempore, et ad montem, et in plano, in manibus, in ſinu, ſupraq; iam ceruices omnium, et caput, ita prçcipites irruere flammarum montes, ut non euitari tam repentini modo periculi diſcrimen, et infortunium, ſed uſque adeo incendiorum plena et luctus et terroris uniuerſa, ut niſi luctus, niſi terror, niſi mors ab omnibus ita expectari, ut peiore res eſſe loco non

poſſe

poſſe uideretur. Ad virginẽ deſperatis ſic tam rebus, ei ſeſe curſim deuouentes uniuerſi, deſuper eius impoſitum ſepulchro uelamen, et amictum, contra tam præcipites et tantos incendiorum incurſus et terrores, paſſis eam deprecantes manibus, et lachrymis opponerent, Tam ſæuus atroxque furor et tam terribilis, terrore ſeſe tanto, tantæ Virginis honore, dat trepidans et tremens in fugam ſic, tamque ad terræ unde exierat, repente altiſſima ruit, ut ſerena cuncta cum relinqueret plaudentibus cunctis, puncto temporis interierit. Nec prætereundum, quod annis poſt quam hæc acta ſunt uel circiter centum, cum continentia miracula ſemper interceſſiſſent, uniuerſi undique quotidie cum infirmis ad eam, et ſepulchrum eius, ut ſanarentur a langoribus frequentiſſimi conuenirent, et Syracuſanus uniuerſus generatim populus, ſpatio paſſuum circiter uiginti ſex, uel ſeptem millium, cum ſupplicationibus, hymnis, et precibus, et uirgo Lucia cum eis, ad ſepulchrum eius pro iam deſperata ualetudine matris, exceſſu mentis diutius eam precaretur, et oraret, conſpicit ecce precioſiſſimis fulgẽtiſſimisq; ueſtibus infinita pulchritudine, inter angelorum, ac paradiſi, et uirginum choros, eam quam precaretur, et oraret, ſibi de cœlis ita loquentem. Soror mea Lucia, uirgo Deo deuota, quid a me petis, quod tam per te pręſtare mirabiliter, et efficere iam poteris? Sicut enim Catana Ciuitas per me, ita Syracuſana per te ſublimabitur a Domino, cui iucundiſſimum in tua uirginitate cuſtodiſti habitaculum

lum, et precibus tuis,et lachrymis, mater tua ecce ſalua eſt. Et ſic inter paradiſi,et Angelorum concentus Agatha, et virginũ choros glorians fœliciſſima remanſit. Et de gloria tanta eius,et ſalute lętiſſima matris,ad martyrium flagrans,et ardens Lucia diſceſſit. Nec adhuc tam difficile, tamue in neceſſitatibus durum, crudele, uel aſperum, et extremum, à quo per eam non defendantur, concurrentibus vicinarum certatim urbium quotidie populis, pro gratiis acceptis, et beneficiis, cum gratiarum actionibus, canticis, hymnis, et ſupplicationibus. Pręſtante ad tantæ virginis honorem, et gloriam, Domino noſtro Iesv Chriſto, qui cum patre, et ſpiritu ſancto ab utroq; procedente, uiuit omnipotens, et regnat ante omnia, et in æterna ſecula ſęculorum. Amen.

EX DIVÆ MARTINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS VITA.

DIVA Virgo Martina clariſſimo, chriſtianiſſimoq; Romanorum patre, cum in Dei ſe præceptis, vt educta ſemper, et eruditionibus immaculatã cuſtodiret, neque diebus, neque noctibus, à colloquiis diuinis, orationibus, et vigiliis recedebat. Ab Alexandro Imperatore, ob eximiã, eius amore, pulchritudinem et decorẽ mirabiliter capto, comprehendi ſub chriſtianitatis nomine iuſſa, orantem etiam inuenerunt. Et magno licet impetu acceſſiſſent, ob familiæ tamen et generis dignitatem et honorem, ei appropinquare vix auderent, et quandiu uoluerit orare permiſiſſent, Tanquã cõtra fallaces Deos, et animarũ deſtructores, et ut ſacrilegos confunderet iudices et Imperatorem, pugnatura, diu cum oraſſet, Inflammata ſic et ardens ab oratione ſurrexit, vt nil ſibi longius, quam ut præſto Imperatori, et quæ ille cumq; uellet et cuperet, ipſamet et cupere et facere cupidiſſime uelle uideretur. Ad tribunal uero conſtituta, et pulchritudinem tantam magis etiam admiratus Imperator, Non ego te ille a me, non a Regni mei ſolio diſcedere patiar, et ita diligã, ut cum ſic benigna Diis, et tam ex animo cuncta noſtri cauſa uelle comproberis, in matrimonium accipiam. Nec Dijs illa tuis, inquit, ſacrifico, nec inique tibi ſacrifican

ti, et cæteros iniquius ſacrificare cogenti, obtempero, et vni cui me deuoui Deo meo viuo, et vero, qui cuncta creauit, et fecit, ſacrifico, benedico, veneror, et adoro, et per ſacrificium veriſſimum viuum illud vnum, et ęternum, lapides, quos colitis et adoratis, eſſe nihil oſtendo, et deceptas miſerorum animas ad ſuum reducere creatorem, non deſiſtam vnquam, nec ceſſabo: Confuſus ille tum animo, et indignans, cum præter opinionem, et quam ad eum ſui retuliſſent, accidiſſet, In templum flagellis afflicta trahatur, inquit, Apollinis, ut ſi non ſacrificet, vſq; dum uiuat excruciata necetur. Quę cum poſt ad id tormenta et flagella traheretur, Sequantur, precor, et me, quicunque ſequi cupiunt illum, ut quam Dominus Deus omnipotens, placabilia ſuorum uelit, et accipiat ſacrificia, cognoſcatis. Nec rapta prius ad illud, et imperatum, ne quid ab omnibus aliud agerettur, niſi ut quid ab ea fieret, ut ſibi referri poſſet, obſeruaretur, quam tota de cœlis inflammatiſſima fulgore, oculos in cœlum tollens, et manus, Gloria tibi ſit pater, inquit, æterne, pater miſericordiarum, largitor ſapientię, uiſibilium omnium creator et inuiſibilium, qui nomen dilectiſſimi filii tui confitentibus, uires præſtas, et elargiris inſuperabiles. Te mente inuoco, ore confiteor, corde adoro, ueneror, precor, et imploro, ut cæcum repente frangatur, et corruat ſimulachrum Apollinis iſtud, et idolum, qui ſicut dare per impotentiam, ut uiuant homines, non præualet, ita per illuſiones, et occultiſſimas

ſimas inſidiarum fraudes, et dolos occidit, et mortem tam miſerabiliter infert. Exaudi me Domine, exaudi precor, et miſerere, ut ſentiant uniuerſi ſimulachrum iſtud, lapidem eſſe, non Deum, nec te præter alium, uel ante quam terra fieret, aut formaretur orbis, ab ęterno, et in æternum adorandum. Et magno ſubito tota concuſſa ciuitate fulgore, ita corruit, et comminutus, cum præcipua templi parte aliisq; ſimulachris, Apollo, ut quam plurimi, cum templi cuſtodibus, et miniſtris, cum ſtridens etiam dæmon euaneſceret, opprimerentur. Sed ueneficiis omnia cum tribuerent, os uirginis, et faciem cędi, palpebras diuelli, et totum ferreis ungulis corpus ab octo uiris, ut binis defeſſis, integri ſuccederent, laniari crudeliſſime iuſſa. Cũ inter uero cruciatus ipſa lętaretur et gauderet, doloribus et pœnis occiſores affiictarentur ſic, miſerabiliter ut clamarent, Incolumis illa manet, noſtræ dolore concidunt et laſſitudine manus, lętatur ipſa, et permanet, cruciamur nos, et deficimus. Tollatur, precamur, a nobis, ne pereamus, Angelos enim contra nos pro ea pugnantes cernimus. In nos, heu, cuncta retorquent, vis ferri tanta non poteſt, occidimur. Et tanquam cauſas fingentes, inferre tormenta recuſarent, ad eam etiam extinguendam maiora pararentur, Benedictus es, exclamat illa, Domine IESV, qui tuos uſque adeo cylpeo tuæ pietatis, et miſericordię tueris famulos, et defendis, ut neque animæ integritas dæmonum iaculis, et inſidiis uioletur, nec uulnerum ſentiat ictus, et ſupplicia corpus, quibus ex-

crucietur. Immenſam tuæ pietatis, et miſericordiæ clementiam adoro, precor, et imploro, ut qui tam ſæua in me compulſi per uim ſint inferre tormenta, ad pietatis, et gratiæ tuę miſericordiam, ut te creatorem cognoſcant et dominum ſuum, reuocare, et uitę perennis, et glorię tuę participes efficere digneris. Tū de cœlis exaudita uox. Ne timeas, ecce, dicens, quem uocas, adeſt. Qua, cum præter dolores, ipſa etiam perterriti uoce occiſores, ueniam ad uirginis proiecti pedes, implorare cœpiſſent, non ab ea modo ſuſcepti, ſed uſque adeo uehementer et incendio tantę prædicationis, et ardore edocti et inflammati, ut uniuerſi ad Imperatorē: Hactenus, Imperator, ab ignorantia noſtra, et ſcelere ſeducti, dęmonum fraudes, et ſculptilia manuum hominum facturas adorauimus. Nunc ad ueritatis gloriam per uirginem ducti, uirtutem omnipotentis Dei cognoſcentes, eius filium Dominum noſtrum I E S V M Chriſtū, totius et mentis, et corporis intentione precamur, colimus, ueneramur, et adoramus. Cum ſic mutati, ille ſitis, inquit, et crucifixi ueſtri magicis incantationibus adhæſiſtis, nos contra ſcelera tāta inſiſtentes, ita conabimur, et contendemus, ut ita libenter eius, ut bene uobiſcum etiam actum eſſe dicatis, obliuiſcamini. Cum Deum uero ſic, tantoque conſenſu et ardore glorificarent, ut uniuerſos ad eum etiam glorificandum inflammarent, ad martyrii locum crudeliſſime ducti, Cœli creator, orare cœperunt, et terræ, et maris, uiſibilium omnium, et inuiſibilium, qui per uirginem

ſan-

ſanctam tuam, deſtructorem animarum mirabiliter de ſtruxiſti Apollinem, et nobis indignis famulis tuis adno titiam ſanctiſſimi tui nominis, et miſericordiæ, mirabilius, cum uirginem tuam occideremus, uenire tribuiſti, ne delicta, obſecramus, ne ſcelera reminiſcaris tam crudelia, et iniuſtitias, quas a nefariis impulſi principi bus, in te, ſeruosque tuos tam inique geſſimus, Te men te, corde, animo, gemitibus, et lachrymis adoramus, et obſecramus. In ſuo ſic ſanguine capitis obtruncatio ne baptizati, cum martyrii triumpho in cœlum, et glo riam ſuſcepti, cum Domino gloriantur in ſæcula. Cum poſt diuerſos autem uirginis cruciatus, flagella, et terrores, in magica ne arte amplius illa ſua confideret, inquireretur, Non te pœnitet, non te reſpicis, ſic deludi, uinci, ſuperari ab ancilla toties et confundi? Interfice, ſeca, occide, cruciatus, et flagella exquire, inueni, exerce, Diis non ſacrifico tuis, tuos deſpicio terrores, dolos, tormenta, cruciatus, et dolores. Deo enim cœli, Chriſto IESV, ita me commendaui, deuoui, et tra didi, nulla ut tua mihi, uel ſi cuncta facias, et coneris, nocere poſſit iniquitas. Expoliari ad contumeliam tum eam, et nudo excruciari corpore iuſſa, tam immenſus, et tantus ex candidiſſimo, fulgentiſſimoque corpore refulſit, et extitit ſubito ſplendor, et claritas, et ita caligare quaſi ad uim radiorum ardentiſſimi ſolis intuentium cœperunt oculi, ut non uideri modo, ſed nullo tegi poſſe alio magis, quam

ſui ardentiſſimi fulgoris ipſius , et claritatis operimento poſſe videretur. Ac tantus ex inciſo, laceratoque corpore ſpirabat redolens, et ſpirans odor, et ſuauitas, vt non aromatum fragrantiam tantum, ſed omnium ſuauitatem etiã ſuperaret odorum. Inter dolores ipſa vero, cruciatus, et flagella, Voce mea ad te Domine clamaui, exaudi me Domine, qui mea ſemper laus, meæ ſemper uires, et dolor meus in conſpectu tuo ſemper. Pater Abraham filium ſuum gratiſſimum tuæ deitati obtulit in odorem ſuauitatis holocauſtum, Hostiam tibi ego corporis mei offero, largior et deuoueo viuam. Vt illum ſuſcepiſti, ita me, quæſo, ſanctiſſime ſuſcipe pater, ut cognoſcant omnes, quia unus uere ſis Deus, nec alius te præter unquam adorandus. Cumq; Deos illam, qui ſibi eſſent irati, propitii ut eſſent, adoraret, hortari conerentur, Cum Dii veſtri Satanæ ſerui ſint, illa inquit, et miniſtri, qui niſi fornicatores, et ueneficos amat, amplectitur, et fouet, indulgere mihi qui poterunt, ab eo, quod uos imperatis, abhorrenti? Quatuor extenſa tum lignis a tortoribus, Deus inter flagella, in adiutorium meum, exclamat, intende, arma tollens et ſcutum, in auxilium meum feſtina, precor, et exurge. Flagellis enim corpus, et tormentis pro tui ſanctiſſimi nominis honore et gloria dedi, faciem ab iniuriam inferentibus, et ſupplicia, non auerti. Ex tormentis autem ſic orans et flagellis, in carcerem iterum tracta, Magam iniuſtam, inquit, familiaris et amicus Imperatoris Eumenius, iſtam, quæ tot et tanta ſuperat incantationibus

cantationibus, conſtringi, et feruentiſſimum pinguedinis liquorem ſuper corpus eius guttatim infundi iube, ut pulchritudo tanta eius, et dignitas, et decor extinguatur. Et ueniens idem cum cæteris, ut eam, ſicuti conſuluiſſet, excruciatam adureret Eumenius, odorem, cum ad carcerem acceſſiſſet, nimium cum ſentiret, nec id ſciens unde proueniret, tanto cum odore, aperto carcere, lumen, et ſplendor, uelut fulgor extitit, et obiectum eſt, ut ſe loco mouere non poſſent, ac inter uiros eam, quorum non eſſet conſiderare pulchritudinem, decantãtem, et, Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti, repleta eſt terra maieſtate tua, pſallentem aſpicientes, cuncta reuerſi referunt Imperatori. In Artemidis tum templum rapi, et includi, ut ſi non ſacrificet occidatur iuſſa, Te in Dei mei, illa inquit, nomine, qui pro uniuerſi orbis fælicitate crucifixus eſt, et gloria, adiuro dęmon, et præcipo, ut a luſionibus, et dolis, quibus hunc hactenus populum decipiens occidiſti, deſinas, et hinc nocens nemini recedas, et ſimulachrum, quod tanta cum fraude colis, et inhabitas, comminuas totum, celerrimeq; frangas. Quo mirabiliter e ueſtigio perfracto, in carcerem ipſa, et de carcere ad Iuſtinum iudicem ducta, nec ferre ille poſſet, quod uſque adeo lætam, et feſtiuam poſt ſupplicia tanta conſpiceret, Per mundiſſimum ſolem, inquit, iuro, quod niſi quam primum ſacrificaueris, infælicius quam mori, iterum laniata peribis. Pœnis, quibus me illa cumque potes, inquit, excrucia, lignis, et lapidibus

tuis non ſacrifico. Ferreis ungulis excruciari tum acerbiſſime iuſſa, nec uox diu laniata, nec motus audiretur, cum putarent forſan illam mortuam, Vis ne cetera, ille inquit, euadere ſupplicia? Dominum illa meũ habeo, ei me deuoui hoſtiam uiuam, inquit, et in æternũ tradi di. Ad Imperatorẽ ille redire feſtinans, A mane, inquit, uſque nunc, ut ſuppliciis excruciatam interficerem eni xe contendi, nec occidi poteſt, nec ſacrificat, et reclu ſa in carcerem lætior apparuit, Feris tradatur immanibus, ut magicæ deficiant artes, et ut Deos incantationi bus deſtruxit, ita a ferarum laniatibus intereat. Exclamans illa tum, lumen, inquit, indeficiens, mea ſemper laus, ſemper uires, nunquam non illuminata ueritas, ſicut thronum poſſides ęternitatis, et ad Deitatis tuæ cognitionem tuos gloria Sanctos, et honorẽ coronaſti, ita a ferarum me laniatibus, et ſceleratorum ſupppliciis, et cruciatibus in agone cuſtodi. Et fidei pleniſſima, et uirtutis, Vorari a feris exopto magis, inquit, et cupio, beatam ut uitam illam, quæ apud Chriſtũ eſt, merear, quam nefandorum ſuaſionibus conſentiens, in la queos incidam et mortem æterni iudicii Dei. In caueã tum proiecta leonum, et curſim leones ad eam, non ti morem ut inferrẽt, ſed amorem certatim geſtientes oſtẽderent, Caput alius et ceruices ad pedes uſque ſubmit tens, alius quaſi blandiri niteretur, ei ſic adeſſe omnes, et fauere cœperunt, ut non modo eam non lędere, ſed alius alio tueri magis, et cupidiſſime defendere uelle uideretur. In quorum ipſa medio, Veſtrum cognoſcite

 feræ

ferę uos, exclamat, dominum, quem non cognoſcit, qui cognoſcere debet, nec parcit agnoſcentibus eum. At quibus illi poſſent eam occidere ſuppliciis cogitantes, leones ad ſuas reduci caueas iubent, quorum qui immanior, in eum tũ qui auctor, ut Dei uirgo adureretur, extitiſſet; irruens Eumenium, dicto citius interſecit. Sed cum magicis omnia tribuerent incãtationibus, ad omnium idolorum continuo templum per oppreſſionem tracta, nec ad conſenſum flagellis poſſet, nec terroribus inclinari dæmonum, in ardentiſſimæ fornacis incendium proiecta, et incluſa, Benedico te pater, inquit, adorande, pater metuende benedico, adoro, ueneror, et glorifico nomen ſanctum tuum, quod ancillulæ mihi tuę corpus diuini tui roris afflatu, et gratia perfuſum, inter ardentiſſimos cruciatuum, et incẽdiorum dolores, incolumem te laudãs manet, et illæſum. Cum ecce ſubito ſic flammas diſtulit uentus, et ignẽ, ut aſtantium pars cum incẽdiorum miniſtris interiret. Cum uirtutem uero talem reputarent et tantam in capillis forſan (cum cętera tentaſſent uniuerſa) contineri, capillis ſtatim tonſis eius, et abſciſſis, in templum recludere, templi etiam hoſtio, ut ibi deficeret, obſignato, crudeliſſime inſiſtunt. Vbi cum diu paſſis in cœlum manibus oraſſet, et templi ſimulachra tanti ſpiritus oratione confregiſſet, dies tres pſallens et noctes, incluſa manebat. Sed aperto tãdem, quod mortuã reputarent, hoſtio, inter Angelos autem, et diſſipata idola conſpicerent, Deũ collaudare omnes, et a ſimulachris et idolis

diſce-

diſcedere cœpiſſent, abſcondi ille ſtatim, et ſublata pro cul, ne cuncti deficerent, excruciari repente iubet, et occidi. Quæ in exitu tam glorioſi, et tanti ſui certaminis, et uitæ fine gaudens, et glorians, ab Vrbe paſ ſuum millia circiter decem, Hoſtienſi uia ducta, Gratias tibi, orans inquit, ago Domine cœlorum decus, qui ſanctorum choros, et Angelorum confirmaſti, magnum ſemper, et glorioſiſſimum nomen deitatis, et ſanctiſsimę glorię tuę in ſæcula. Et in cœlũ ſic benedicens, capitis obtruncatione ſuſcepta, eidem benedicit ſemper et laudat, qui ab æterno benedictus, et glorioſus in ſæcula ſæculorum. Cuius ſanctiſsimũ caput a ſanctiſsimo corpore diuulſum, ad exemplum ſine ſepultura cũ corpore proiectum, cum duæ, altera caput, altera corpus cuſtodirent Aquilę, a ſanctiſsimo Dei Pontifice inter cryptas, et martyrum ſepulchra latitante Calliſto, multis cũ lachrymis, et honore ſepelitur. Cuius diu latens, ſed ſuo reuelatum tempore corpus, terram fodere cum cœpiſſent, ad dexteram ſanctiſsimæ Virginis, et ſiniſtram, ſanctorum martyrum Concordii, et Epiphanii corpora, fragrantiſsimi odoris redolentia inuenientes, Romam ſummo cum honore deportauerunt. In cuius uirginis memoriam, et honorem, ad Septimii, ſub Capitolio, arcum, dedicata eſt Eccleſia, ſancti Adriani martyris Eccleſię coniuncta. Sanctiſſimum cuius etiam caput, in ueneranda diuæ ſemper uirginis Mariæ Arę coeli eccleſia a uenerandis fratribus diui Franciſci cuſtoditur, et inaurato capite circumcluſum, ſtatis

ſuper

ſuper altare, ſolẽnibusq; diebus ſumma ſemper religione ueneratur, et colitur. Præſtante ad tantæ Virginis gloriam et honorem Domino Noſtro IESV Chriſto, qui cum patre, et ſpiritu ſancto ante omnia uiuit ſemper, et regnat omnipotens, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Imprimantur ſi videtur etiam R.P. Magiſtro Sacri Palatij.
A. Vicesgerens.

Poterunt imprimi præmiſſæ legendæ ſ. ſex ſanctorum, Ioannis euangeliſtæ, Thomæ apoſtoli, Sebaſtiani, ſanctæ Cæciliæ, ſanctæ Agathæ, ſanctæ Martinæ. Romæ Tert. Semptembris. Anno. M.D.LXX.
Frater Thomas Manrique Sacri Palatij Magiſter.

BIBLIOTECA N
1